Vol. III. — Fasc. VI. 1 novembris 1929.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

VI.

APRILI—OCTOBRI 1929.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

De rebus Societatis vobis scripturus, praeposterum ordinem hac vice sequar, indeque incipiam quo mihi finiendum esset, duos domesticos Curiae eventus primo enarrans, qui nuperrime nos in Domino recrearunt, quique tamen, cum ex nativa huius nostrae domus indole tum ex rerum adiunctis, privatos hos parietes longe transgrediuntur et vobis quoque profecto gaudio erunt.

Publici Curiae Oratorii benedictio.

1. — Ianuam nostrae domus ingredientibus statim e regione occurrit sat amplum sacellum, stilo romanico (ut aiunt) exaedificatum, externis quoque aditu facile, quod secundum Canones omnibus Oratorii publici iuribus fruetur. Etsi nondum perfectum sit, paesertim quod ad ornatum pertinet (ideoque ab eo vobis enuclatius describendo in praesens abstineo), eo tamen iam deductum est, ut ad divinum cultum peragendum optime adhiberi possit. Itaque de sollemni Oratorii benedictione cogitandum erat. Et ecce, exeunte mense octobri, Eminentissimus Hispaniae Primas Card. Petrus Segura y Sáenz, Toletanus Archiepiscopus, Patrem Nostrum invisens (1), ad sacellum benedicendum sponte sese offert. Et revera die festo Domini Nostri Iesu Christi Regis (27 octobris 1929), mane hora decima, venit Eminentissimus Cardinalis et pontificali ritu, adstante Patre Nostro cum tota Curia, caeremoniam illam

(1) Romae illis diebus Cardinalis versabatur ob magnas ex Hispania peregrinationes, de quibus (quod ad Societatem pertinet) alias dicemus.

secundum Rituale Romanum devotissime peregit, totum sacellum exterius interiusque aqua lustrali aspergens illudque S. Francisco Borgiae dicans. Nam id statuerat Pater Noster eo consilio ut in Urbe, praeter S. P. Ignatium, cuius amplissimum ac pulcherrimum templum apud Collegium Romanum exstat eiusque sepulcrum in templo SS. Nominis Iesu magnificentissime ornatum maxima omnium veneratione colitur, etiam alter hic noster Sanctus Praepositus Generalis, de Ecclesia et Societate tam bene meritus, suum, utut modestum, haberet Oratorium, ubi eius memoria impensius honoraretur.

Quod vero Eminentissimi Principis benevolentia sponte addidit caeremoniae, id gaudium nostrum duplicavit: nam in faldistorio assidens, mitra coronatus atque baculum pastorale manu tenens, latine nos amantissime est allocutus, gratum suum animum atque insignem suam de Societate aestimationem ostendens. At eius sermonem, ex tempore quidem sed adeo facili elegantique latino eloquio dictum, ut id Comillensi Universitati, cuius ille fuit alumnus estque maximum ornamentum, vere honori sit vertendum, tot tantaque continet, ut hic summatim referre non deceat, vosque rogo ut integrum infra ad calcem huius epistolae legere velitis (1).

De primo Ruthenorum Episcoporum conventu.

2. — Alterum ibidem invenietis documentum, quod item, Reverendi Patres Fratresque carissimi, legere ne gravemini. Siquidem pulcherrima ea est et benevolentissima communis Episcoporum Ruthenorum epistola (2) die 29 octobris ex hac ipsa domo ad Patrem Nostrum data, ut gratissimum suum animum erga Societatem exhiberent, antiquis quoque commemoratis beneficiis, sed potissimum sumpta occasione primi sui conventus apud nos celebrati. Nam cum, favente Sancta Sede, omnes Rutheni Episcopi Catholici, sive ex Polonia et Cechoslovachia et Iugoslavia, sive ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis et Canada, episcopalem sui ritus conventum seu Concilium (primum prorsus illud quidem, atque in historia illius Ecclesiae sicut anteactis saeculis saltem recentioribus inauditum, ita futuris saeculis semper memorandum!) Romae cogere statuissent, cumque Summus Pontifex per Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali id Sibi valde probatum iri significasset, quod venerandus iste conventus

(1) V. infra, pp. 327-328.
(2) V. infra, pp. 328-329.

domi nostrae haberetur, Pater Noster amplam Episcopis illis hospitalitatem libentissime obtulit, qui in apta et paululum segregata aedium parte decem dies eoque amplius summa cum quiete habitarunt, assidue de suis negotiis in aula orientalium Sanctorum imaginibus ornata inter se conferentes, proprium item sacellum propriamque mensam habentes.

Novem erant Praesules (alter enim ex America Ruthenorum Ordinarius et Episcopus Canadensis venire non potuerunt), praeside RR. DD. Andrea Szeptyckyj O. S. Bas., Archiepiscopo Rutheno Leopoliensi: primo autem Concilii die (21 octobris 1929) eos Sanctae Sedis nomine salutaturus venit Em. Card. Aloisius Sincero, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretarius, qui primae Concilii sessioni paulisper praefuit. Unus ex illis, RR. DD. Ioannes Buczko, non ita pridem Episcopus tit. Cadiensis et Auxiliaris Leopoliensis electus, aliquot dies ante alios huc advenerat et domi nostrae Exercitiis spiritualibus, duce P. Camillo Crivelli, operam dedit, quo melius ad plenitudinem sacerdotii recipiendam se disponeret, quam die dominico 20 octobris apud Collegium Ruthenum de Urbe in templo SS. Martyrum Sergii et Bacchi memoratus Metropolita RR. DD. Szeptyckyj, aliis Episcopis adstantibus, ei sollemniter contulit. Huius Collegii Rutheni aliquot alumni per illos dies summo mane huc veniebant Episcopis ad altare secundum suum ritum ministraturi. Interdiu vero Reverendissimorum Hospitum peculiarem curam gerebat novus pro Assistentia Slavica Substitutus Secretarii, P. Stephanus M. Crisinus Sakač (Viceprov. Iugosl.), qui aliquot ante annos, dum Pontificio Instituto Orientali addictus erat, ad ritum slavicum-byzantinum transiit: atque ita etiam in Curia nostra deinceps Iesuitam ritus orientalis habebimus.

Antequam Episcopi illi Roma discederent, primum novi Collegii Rutheni lapidem, ad occidentalem Ianiculi collis clivum ex Summi Pontificis munificentia exstruendi et Sancto Iosaphat dicandi, die 28 octobris, ipsis adstantibus, Eminentissimus Cardinalis Aloisius Sincero ad ima detulit, cui caeremoniae etiam Pater Noster invitatus adfuit. Postridie vero eos Beatissimus Pater peramanter admodum excepit, quin et una cum illis machinae photographicae sese exprimendum praebere dignatus est.

De Seminario Russico Societati commisso.

3. — Sermonem autem ad alia convertenti mihi, a rebus tamen Ecclesiae Orientalis non statim est discedendum, cum de novo Pontificio Collegio Russico aliquid dicendum occurrat. Quod quidem haud melius praestare possum, quam vobiscum, longinquis fratribus, ea communicans, quae Pater Noster, cum ei pridie festi S. Wlodimiri faustissima quaeque ominaremur, nobis coram enarravit. Solemus enim quotannis die 23 iulii vespere simul convenire, ut communia omnium vota, per os R. P. Italiae Assitentis domusque Vicesuperioris, in crastinum festum Patri Nostro offerre possimus; quibus exceptis, vicissim Pater Noster paterno sermone respondens recentes quosdam Societatis eventus, si qui sunt, commemorat.

Itaque hoc anno, post disertam R. Patris Nalbone contiunculam gratias referens, nuntiavit Pater Noster, Pontificium Collegium seu Seminarium Russicum, quod in Urbe prope Basilicam S. Mariae Maioris construitur Pontificio Instituto Orientali contiguum, ex apertą Summi Pontificis voluntate, cui resistere non licuit, Societati nostrae commissum iri. Se libenti quidem animo id munus ex obedientia suscipere, cum tantopere Societas erga Russiam affici debeat ob servatas olim ab ea Ignatianae familiae reliquias, sed simul persuasum habere gravissimum forte omnium sibi impositorum id esse officium ob innumerabiles illius difficultates. At his tamen nequaquam nos deterreri debere, sed fortiter commissum opus esse aggrediendum, invocata quoque, praeter patrocinium S. Teresiae a Iesu Infante cui novum Collegium dicatum est, S. Wlodimiri intercessione, qui Russiae non modo Rex, sed etiam primus apostolus fuit, et cuius nomen quotidie in liturgia Russica commemoratur.

Haec tunc Pater Noster: quibus nunc addi potest ipsam Constitutionem Apostolicam « Quam curam » de hoc Seminario canonice constituendo, die festo Assumptionis B. M. V. datam et nuper vulgatam, apertam de Societate Collegio moderando praeposita mentionem continere. Ad regimen vero quod attinet, primum Collegii Rectorem Summus Pontifex, Apostolica ad id Epistola die 18 octobris data Suaque manu subscripta, nominare dignatus est P. Vendelinum Javorka (Prov. Cechoslov.), qui iampridem ad ritum graeco-byzantinum transierat et Ministrum in Pontificio Instituto Orientali hucusque agebat. Hoc ipso exeunte anno no-

vum Collegium primos alumnos excipiet, qui scholas Universitatis Gregorianae et Instituti Orientalis frequentabunt, additis domi peculiaribus institutionibus de rebus ad Russiam propius attinentibus.

De beatificatione P. Claudii de la Colombière.

4. — Eadem illa occasione magnam animi sui laetitiam patefecit Pater Noster de felicissimo exitu causae beatificationis Ven. P. Claudii de la Colombière, quam maximi prorsus momenti esse dixit pro universa Societate, praesertim ob dulcissimum divinitus nobis commissum munus promovendi cultus SS. Cordis Iesu; et sperare se ait hunc faustissimum eventum toti Societati ad solidam pietatem fovendam utilissimum fore. Quod quidem iam tum persenserat R. P. Ludovicus Martin, qui, ut in eius privatis quibusdam notis Pater Noster scriptum invenit, hanc causam prae ceteris urgendam sibi proposuerat, utpote quam in maius Nostrorum omnium spirituale emolumentum cessuram et ipse speraret; sed benignissimus Dominus magnum hoc beneficium nostris his diebus reservaverat, ut « Servus fidelis perfectusque Amicus SS. Cordis » altarium honores consequeretur eo ipso anno, quo eiusdem SS. Cordis festum ad supremum liturgici cultus fastigium evectum est.

De hac autem re, quamquam iam longe lateque perlata est fama iamque separato fasciculo « Acta Sanctae Sedis » ad eam causam pertinentia (1) vobiscum communicata sunt, cum tamen de tam insigni sollemnitate in his Societatis annalibus nos silere prorsus non deceat, peculiarem de ea narrationem infra legere poteritis (2).

Monumentum SS. Cordi Iesu in nostra Curia positum.

5. — Tanti festi memoria perennis manebit ingens SS. Cordis Iesu statua, quae, in novae Curiae viridario per id tempus constituta, eodem illo die 16 iunii dedicata est et vespere electricae lucis radiis concavorum speculorum ope reflexis perbelle micabat. Locum illum eminentiorem tenet, quem mobili tholo astronomicis

(1) *Acta Sanctae Sedis de beatificatione B. Claudii de la Colombière e Societate Iesu*, 16 iunii 1929. - Romae, apud Curiam Praep. Generalis, 1929.

(2) V. infra, pp.339-350.

inspectionibus olim habendis instructum alias vobis descripsi, quemque in aliam formam reficiendum et ad alios usus destinandum tunc dicebam (1). Hoc astronomico tholo ablato, super eius rotundam basim latericiam, cuius summa planities cancellis caementario opere confectis circumcluditur, altera minus ampla basis quadrata superstructa est sex metra eminens, in eaque stat dulcissimum Domini Nostri simulacrum sex item metra eoque amplius excelsum, Sacratissimum praebens Cor in pectore radiis micans, capite oculisque aliquantulum ad terram inclinatis, brachiis benignissime apertis et demissis, quasi dicat: « Venite ad me omnes ». Tiberim amnem et Urbem respicit statua, solque oriens eam illuminat. Facile cernitur ex variis Urbis locis, praecipue autem a nonnullis Tiberis pontibus atque in primis e Monte Pincio aliisque quibusdam eminentioribus Urbis collibus.

Ob eius molem et situm, cum haec statua omnium oculos, praesertim primis illis diebus, ad se tractura praevideretur, officina quaedam cinematographica Romana, rei certior facta, totum eius elevandae et collocandae diuturnum difficilemque laborem mobilibus imaginibus exprimendum curavit, atque hanc imaginum seriem scimus sequenti hebdomada in omnibus Urbis aulis cinematographicis proiecta luce libenter conspectam fuisse. Quin et ephemerides plurimae cuiusvis generis, non modo per totam Italiam sed etiam nonnullae exterae, monumenti imagine plerumque apposita, de eo locutae sunt: nec defuit ephemeris quaedam profana (quae est in huiusmodi diariorum scriptoribus rerum sacrarum ignorantia!), quae sub nitida statuae SS. Cordis imagine hunc titulum inscriberet: « Monumentum Patri Claudio de la Colombière a Iesuitis Romae erectum! ».

Artifices fuerunt clari sculptores Dominicus et Albertus Mastrojanni, pater et filius: opus artis etiam a peritis omnino probatum. Verum, hoc est primum exemplar e gypso confectum; mox in solidiorem materiem convertendum. Itaque iam coeptum est opus, fietque ex aere statua Christi Regis Cor exhibentis, romanis monumentis omnino digna, ac novi rerum ordinis, Italia Deo restituta, auspicatissimum signum.

(1) V. supra, pag. 116.

De Lateranensibus pactionibus.

6. — Quem quidem novum rerum ordinem cum obiter tetigerim, nolim miremini, Reverendi Patres Fratresque carissimi, quod silentio praeteream magnos Urbis eventus, qui superioribus mensibus totum catholicum orbem commoverunt: ad quid enim notissima quaeque commemorem? Hoc unum forte non omnibus notum est, in Lateranensibus pactionibus nostram hanc Curiae domum, utpote quae novo Pontificio Collegio de Propaganda Fide eiusque horto sit contigua et quasi unum territorium efficiat, inter Sanctae Sedis possessiones ita computari, ut « extra-territorialitatis » (quam vocant) iuribus sit fruitura; Pontificiam vero Universitatem Gregorianam et Instituta Biblicum atque Orientale et Russicum Collegium minoribus quibusdam immunitatibus item donari. Nec silendum, ad faustas has Conventiones in Lateranensi Palatio die 11 februarii 1929 subsignandas, Sanctae Sedis et Italiae Legatos magnam illam mensam adhibuisse, quam nostra Philippinarum Missio ad Expositionem Missionariam Vaticanam anni 1925 miserat (1) et dein Beatissimo Patri pro Museo Missionario Lateranensi dono dederat.

De iubilaeo Summi Pontificis.

7. — Antequam ad alia convertamur, loquendum sane mihi esset de Summi Pontificis iubilaeo deque magna Nostrorum opera in promovendis, parandis, comitandis compluribus illis ac pulcherrimis peregrinationibus, quae toto hoc anno Romam undique perveniunt: mirandum sane fidei ac pietatis « spectaculum mundo et Angelis et hominibus »! Sed cum de peregrinationibus occasione beatificationis Patris de la Colombière Romam deductis infra simus acturi (2), cumque, absoluto iubilaeo, peculiari narratione haec omnia simul simus complexuri, satius censemus nunc pauca quaedam breviter, numerando potius quam narrando, praeoccupare.

Festis Paschalibus ingens advenit ex Gallia iuvenile agmen, quinque adolescentium millia complectens, inter quos fere septingenti e nostris Collegiis quatuor Provinciarum Assistentiae Galliae (quadringenti ex una Provincia Lugdunensi) aliique mille trecenti e variis consociationibus Iuventutis Catholicae quibus mode-

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pag. 299.
(2) V. infra, pp. 338-342.

rantur Nostri. Cum iis quadraginta circiter fere aderant Patres, in quibus P. Franciscus Corbillé (Prov. Franc.), totius consociationis Iuventutis Catholicae Galliae « Cappellanus » generalis, qui omnes multum ad felicissimum, quem peregrinatio sortita est, exitum contulerunt. Peregrini vero pietate et urbanitate admirationem populi romani sibi conciliarunt; scimus etiam ipsos quoque magni fecisse quidquid curae et studii quomodocumque in eos hic Romae impensum est. Quanti autem Societatis opera, huic rei libentissime praestita, a Summo Pontifice aestimata sit, vel ex eo dignosci potuit, quod Sanctitas Sua peculiares Patri Nostro gratias agendas sponte curavit et cum, die 2 aprilis, has iuveniles phalanges peramanter excepit et est allocutus, Patrem quoque Nostrum adesse iussit.

Eodem fere tempore ex uno Dublinensi Collegio S. Francisci Xaverii (Prov. Hibern.) quinquaginta alumni, duobus Patribus comitantibus, Romam, venerunt. Item viginti eoque amplius e Collegio Feldkirchensi (Prov. Germ. Sup.). Paulo post gaudia Paschalia, en quadringenti adsunt e Belgio adolescentes studiosi, e quibus ducenti eoque amplius nostrorum Collegiorum sunt alumni.

Quamquam non e longinquo venit, historiae tamen omnino est tradenda peregrinatio totius Collegii Tusculani « Mondragone » (Prov. Rom.) die 14 maii peracta, quae Summo Pontifici occasionem praebuit insigne de christiana iuventutis educatione alloquium habendi, statim per ephemerides catholicas quaquaversus vulgatum ac dein inter praecipuas Sanctitatis Suae huius anni allocutiones, ipsius Beatissimi Patris iussu edito libello, insertum, in quo etiam de Societate eiusque Collegiis praeclara laus habetur.

Mense iunio exterae deputationes Apostolatus Orationis beatificationi Patris de la Colombière, ut infra dicemus, adfuerunt; mense iulio autem ex variis Italiae urbibus Romam peregrini venerunt complures electricorum curruum ductores (*tramvieri*) Apostolatui Orationis inscripti; et mense septembri ingens aliorum Apostolatus Orationis in Italia sodalium peregrinatio instituta est; itemque opificum Foederibus perseverantiae post peractos secessus adscriptorum, praesertim e Latio (Prov. Rom.), et Augusta Taurinorum et Cherio in Provincia Taurinensi.

Medio mense augusto, ducibus PP. Ioanne Marangós et Georgio Xenópulos (Prov. Sic.), e Graecia Romam advenit peregrinatio Iuventutis Catholicae Hellenicae: parva quidem, sed electa iu-

venum manus, quos Beatissimus Pater peculiaribus dilectionis signis est prosecutus, ut filios tanto Sibi cariores quanto rarius ad Se venientes cerneret: prima est enim post multa saecula Romana peregrinatio a Graecis instituta. Pro consueto nomismate S. Teresiae a Iesu Infante, quod Summus Pontifex hoc anno omnibus peregrinis distribuendum curat, his tamquam praedilectis parvas eiusdem Lexoviensis Virginis reliquias thecis inclusas singulis donavit. Cum iis aderant etiam quidam Graeci schismatici, qui Catholicam Ecclesiam in ipsius centro et capite admirati, in patriam redeuntes civibus suis magna et multa narrabant «glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant» si licet iis accommodare evangelica verba de Bethlehemitis Pastoribus. Utinam plena eis lux fiat ad salutem!

Mitto minores peregrinantium manipulos non modo ex Italia, sed etiam ex Canada, ex Hungaria, ex Austria, aliisque regionibus. Silere tamen nequeo de singulari illa Seminariorum peregrinatione, quae cum memoranda Summi Pontificis Sanctissimum Sacramentum deferentis per Sancti Petri forum deducta pompa (die 25 iulii) coniuncta est: qua occasione plurimi, Nostris comitantibus, venerunt alumni ex Pontificiis Seminariis Italiae Societati commissis: Anagnino (Prov. Rom.), Neapolitano et Catacensi (Prov. Neap.), Cularitano in Sardinia (Prov. Taur.); atque ex Pontificia Universitate Comillensi (Prov. Legion.).

Sin minus omnes, at certe fere omnes hi, quos hucusque commemoravi, sive Nostri sive Nostrorum quacumque ratione alumni et asseclae, Romam venientes, Patrem Nostrum adire potuerunt, ab eoque peramanter excepti sunt: peculiari memoria dignae videntur sollemnes, ut ita dicam, receptiones Collegii Tusculani et adolescentium Galliae ac Belgii, qui sua iuvenili alacritate et strepente laetitia severiores Curiae nostrae aulas et ambulacra haud solita iucunditate perfuderunt.

Hoc idem nuper, et multo diutius atque vehementius factum est, cum exeunte septembri e mille ac quingentis iuvenibus opificibus Belgicae consociationis catholicae J. O. C. et K. A. I. nuncupatae Romam advenientibus, centum et viginti domi nostrae, ex benigna Patris Nostri concessione, hospitio sunt recepti. Totius huius peregrinationis labara et vexilla (ad centum quinquaginta eoque amplius numerabantur), quae nostrae item domi per illos dies servabantur, e nostris aedibus die 27 septembris perbelle ad Vaticanam Urbem simul delata sunt, ubi immensis plausibus

tota laboriosa illa iuventus Summo Pontifici acclamavit, cui, adstante cum aliis etiam Patre Nostro, selecti adolescentes usitatis propriae artis vestibus induti et instrumentis instructi munera suis ipsorum manibus elaborata porrexerunt.

Haec opificum consociatio Belgica Societati quidem commissa non est, sed, praeter quam quod nonnullos habet Cappellanos e Nostris Provinciae Belgicae (inter quos PP. Iosephus Arendt et Iosephus Bogaerts de Romana quam dixi peregrinatione disponenda et regenda optime meruerunt), Societatis operam valde expetit ad spiritualem sodalium institutionem, cuius vehementer solliciti sunt illius moderatores.

Quod de simili quoque consociatione Gallica dici potest, cuius Cappellanus generalis haud semel Patrem Nostrum adiit auxilium Societatis petiturus, eiusque Secretarius (laicus hic est et faber) eidem Patri Nostro firmiter declaravit tria suae sodalitati maxime necessaria esse: bonum Patrem spiritualem, brevem meditationem cotidianam, et secessus annuos ac menstruos; atque ingenue fassus est se, cum varia consociationis centra invisens aliquid in iis deficiens invenisset, intimius investigando semper deprehendisse unum ex illis tribus ibi desiderari aut non plene haberi.

De Societatis aestimatione.

8. — Ceterum, ubique magni fiunt Societatis ministeria, et in dies crescunt novarum domorum petitiones; utinam non tam magna fere ubique premeremur Sociorum penuria ad tot tantaque opera ad maiorem Dei gloriam suscipienda! Singulis fere hebdomadis huiusmodi postulationes, sive scriptas sive voce ab Episcopis ipsum visitantibus, bene multas accipit Pater Noster, qui dolens vix non semper respondere debet: Homines non habeo!

Ut unam Provinciam Columbianam commemorem, proximis hisce temporibus sexdecim ibi Collegia nobis oblata sunt, at nullum acceptari potuit, cum Provincia iam multa pro suis viribus habeat Collegia et novam Magdalenensem Missionem curandam nuper susceperit.

In Italia, post Concordatum cum Sancta Sede initum, omnia nostra Collegia scholis publicis aequiparata sunt et paria iura acquisierunt; quod quidem et magnam de Societate aestimationem ostendit (siquidem non omnia alia similia Collegia idem beneficium adepta sunt) et novae Collegiorum prosperitatis spem facit,

eo magis quod, per hoc « parificationis » (quam dicunt) privilegium, pristinam nostram interni regiminis libertatem nequaquam amisimus.

In Lithuaniae Republica optima fama gaudet Collegium nostrum Kaunense (Prov. Germ. Inf.) et ab eiusdem Reipublicae Praesidis filio frequentatur. Feliciter Nostri ibi laborant et Status multa soli hectara obtulit ad tirocinium erigendum (1).

In Provincia Brasiliae Meridionalis Collegium Portoalegrense a Venerabili Anchieta nuncupatum die 30 iunii 1928 a Praeside Status « Rio Grande do Sul » renuntiatum est « Collegium Status », cuiusmodi unum tantum in unoquoque ex Foederatis Brasiliae Statibus haberi potest; idem praestiterat anno 1918 Praeses Status Sanctae Catharinae pro Collegio Florianopolitano. Utrumque Collegium maxime floret et omnibus gaudet iuribus et privilegiis, quibus fruitur princeps omnium Collegiorum Brasiliensium, a « Pedro II » vocatum.

In Uruquaria, ex desiderio Sanctae Sedis, Seminarium Centrale totius Reipublicae nuper Societati commissum est.

Nostra Specula Iberica apud Dertusam (Tortosa) in Hispania instructa, cui praeest P. Aloisius Rodés (Prov. Arag.), a peritis et ab astronomicis societatibus atque institutis pluris in dies fit: iampridem inter illas ex toto orbe perpaucas Speculas computata est, quibus assignatum est munus investigandi regionem centralem Solis; et eius merita etiam ab exteris astronomis magis magisque agnoscuntur. Professor A. Nippoldt, verbi gratia, insignis astronomus Observatorii Postdamensis in Germania, haec anno proximo ad Subdirectorem P. Ignatium Puig (Prov. Arag.) scribebat: « ... Admirabile sane est quod una Specula tam varios scientiae ramos, et quidem tanto cum exitu, colere possit. In ordinario quodam cuiusvis Status centro hoc fieri nequiret. Vester labor aperte demonstrat quam multa facere possit homo, qui, non lucri aut famae causa, sed ad maiorem Dei gloriam scientiam colit ».

In eadem astronomica scientia tanti fit P. Ioannes Stein (Prov. Neerl.), ut mense ianuario 1929 Amstelodami (*Amsterdam*) cunctis suffragiis electus sit Praeses « Circuli Astronomorum Neerlandicorum ». Idque eo magis mirandum quod huius « Circuli » etiam sex Universitatum professores sunt socii.

(1) V. infra, p. 371-373.

Patris Ioannis Hagen (Prov. Germ. Sup.), Speculae Vaticanae Moderatoris, « Nebulae obscurae » quae dicuntur, ab astronomis antea valde diffidentibus in dies magis agnoscuntur. Immo nuperrime praemium conditum est a Societate Astronomica Parisiensi singulis bienniis ei tribuendum, qui de « nebulis obscuris » optime scripserit.

P. Alexius Mallon (Prov. Lugdun.), Hierosolymitanae Instituti Biblici Domus Superior, « Palestine Oriental Society » Praeses pro anno 1928 a sociis electus fuit.

In Australia P. Wilfridus Ryan (Prov. Hibern.), a quodam Universitatis Melbournensis professore rogatus ut eius vices per annum gereret, primus e Iesuitis in Australiae Universitatibus scientificam et mathematicam philosophiam docuit, inter alumnos habens methodistas ac presbyterianos ministellos futuros, aliis discipulis eos irridentibus quod Iesuitae se docendos tradidissent.

Festa quaedam memoranda.

9. — Ab Australia in Europam redire vos rogo, Reverendi Patres Fratresque carissimi, et mecum ad Flandriam mentis oculos convertere. Medio mense augusto huius anni, magnas inter festivitates, pagus Moorslede, dioecesis Brugensis in Belgio, praeclarissimum civem commemoravit P. Constantinum Lievens (Prov. Belg.), qui anno 1856 ibi ortus est et, post brevem sed laboriosissimam vitam, Lovanii obiit die 7 novembris 1893, annos natus septem supra triginta. Ut Nostris vix non omnibus notum puto, hic est celeberrimus ille Missionis Chota-Nagporensis in Indiis fundator, qui florentissimam hodiernam dioecesim Ranchensem praeparavit. Miseros enim indigenas a servitute, qua ab impiis Zemindars seu herorum procuratoribus ibi premebantur, liberavit, eisque humana iura, quibus carebant, vindicavit ac simul Christo adduxit. Ita factum est ut 27.000 illorum suis ipse manibus sacro fonte tinxerit ac, dum aerumnis cito confectus in Europam moriturus redit, 95,000 fidelium reliquerit. — Nunc hi sunt 240.000, qui in Patre Lievens sum Xaverium et beneficum a servitute animae et corporis liberatorem venerantur. Huic igitur apostolico viro catholici Belgae, magnam statuam in eius natali pago erigendam curaverant, eamque die 11 augusti 1929 sollemniter inaugurarunt. Aere fingitur Pater equo insidens (pri-

mus forte Iesuita equestri monumento honoratus!) in memoriam quamplurimorum eius itinerum equestrium, manibus elevans crucem, quam pauper quidam Indus flexis genibus humiliter adorat. Octo dies festa perdurarunt, quibus adfuit etiam Emus. Card. Van Roey, Mechliniensium Archiepiscopus.

Die 31 iulii, Xaveriana Basilica in Navarra (Prov. Castell.) neo-sacerdotem Iesuitam Iaponensem, P. Aloisium Ogihara (Prov. Germ. Inf.), primam Missam celebraturum inusitata sollemnitate excepit, patrini munere fungentibus ex officio Excellentissimis Deputatis civilibus provinciae Navarrae. Post mensem, die 28 augusti, Sophiae, in Bulgariae urbe principe, ordinationem sacerdotalem ritu slavico-byzantino suscepit P. Yourdanus Karamitroff (Prov. Lugdun.), natione bulgarus, primus a Societate qui ritu orientali sacerdotio initiaretur. Sed, cum utraque haec haud communis apud nos sollemnitas peculiarem mereatur relationem, quam infra legere poteritis, iam diutius hic mihi non est immorandum (1).

Alius neo-sacerdos Noster, P. Iosephus Basquin (Prov. Camp.) dum prima Missarum sollemnia Insulis (Lille) in templo SS. Cordis die 30 iunii celebrabat, quinque germanos fratres ad totidem altaria eodem tempore Sacrum facientes cernebat, adstantibus lacrimabundis prae gaudio utroque parente et amicis: nam natu minimus is est familiae iam Deo penitus consecratae, e cuius sex filiis duo Societatis nostrae sunt sodales, unus monachus Ordinis S. Benedicti, tres sacerdotes saeculares (2). Eius ordinatio sacerdotalis optimo consilio habita erat in sacello nostri Rhemensis

(1) V. infra, pp. 385-388.

(2) Huiusmodi exemplum, idest quod omnes unius familiae filii Deo sint consecrati, quamvis rarum, non tamen prorsus singulare est. – Ad Societatem quod attinet, inter alia exempla quae adduci possint, ineunte saeculo XVII in Provincia Flandro-Belgica septem habebantur germani fratres Van Suerck, e quibus tertius, Josse nuncupatus, novitius erat cum S. Ioanne Berchmans eique carissimus, et deinde, mutato nomine P. Iustus Mansilla dictus, celebris Missionarius in Paraquaria fuit. Medio autem saeculo XIX quinque fratres germani e nobili Neapolitana familia Massa Societatem ingressi sunt omnesque, sacerdotio initiati, in Missione Nankinensi in Sinis post apostolicos labores obierunt, quorum memoria adhuc in benedictione est. – Nunc etiam vivunt in Provincia Aragoniae sex fratres Zurbitu, omnes iam sacerdotes, quorum natu minimus nuper tertiam probationem peregit; et in Provincia Angliae quinque fratres Whiteside, omnes item sacerdotio aucti; in Provincia vero Castellana e quinque germanis fratribus Ibero, tres adhuc sunt superstites: PP. Caesareus, Ignatius M., Iosephus; atque alia huiusmodi exempla adduci possent.

Collegii Sancti Ioseph, quod de sacerdotalibus vocationibus fovendis bene meretur: siquidem, ut de solo proximo quinquennio dicam, annis 1923-1928 quadraginta unum ad Domini castra misit, e quibus quindecim Societati nomen dederunt, quindecim Seminaria dioecesana ingressi sunt, quinque candidas Sancti Dominici lanas induerunt, quatuor inter Missionarios Cardinalis Lavigerie sunt cooptati, alii duo, Benedictinus alter, alter Oratorianus, facti sunt.

Liceat denique commemorare id quod feliciter contigit P. Eduardo I. Weisenberg (Prov. Missour.), qui cum aestivo tempore studiorum causa (nam Romae biennium agit) Ierusalem petiisset, sollemnem quatuor votorum professionem die festo Assumptionis Beatae Virginis, summo quidem mane hora 5, sed magna cum omnium adstantium commotione, apud ipsum Christi Domini sacrosanctum Sepulcrum nuncupavit.

Complura alia profecto digna essent quae narrarentur, sed, ea ad aliam epistolam aut ad opportuniorem locum infra remittens, vobis omnibus, Reverendi Patres Fratresque carissimi, plurimam in Domino salutem dico.

Vestrum omnium ss. SS. precibusque me enixe commendo.

Romae, die festo Omnium Sanctorum, 1° novembris 1929.

Vestrum omnium
Servus in Xto.

HILARIUS AZZOLINI.
Subsecr. Soc. Iesu.

Allocutio E.mi Card. Petri Segura Primatis Hispaniae post peractam benedictionem Oratorii publici (1)

(27 OCTOBRIS 1929).

Reverendissime Pater et dilectissimi in Xto. Patres ac Fratres.

Non possum satis exprimere quanti sint hoc die et in hac occasione sensus meae gratitudinis et meae laetitiae. Gratitudinis quidem, quia ad festum intimum et familiare benedictionis Sacelli me vocastis; et gratitudinis erga praeclarissimam Societatem Iesu: nam hic coram Rev.mo Patre Generali libentissime mente repeto meam sacerdotalem formationem, quam habui in illo carissimo et praeclaro Collegio Comillensi Societati commisso.

Sed gratitudinem profiteor etiam quia in meo pastorali ministerio semper inveni Societatis filios tamquam praecipuos meos collaboratores, et non tantum in missionibus ac praedicationibus; sed et nunc praesertim, in sede primatiali Hispaniae constitutus, in Actione Catholica dirigenda, quam mihi vehementer commendavit Sanctissimus Papa Pius XI, praecipuos auxiliares habeo Iesuitas, tum variis modis, tum cum suis illis Marianis Congregationibus, quas ipsi tam bene moderantur.

Nec mea gratitudo respicit tantum haec auxilia in adiunctis ordinariis mihi praestita, sed etiam impraesentiarum, in hoc qualicumque obsequio quod Hispania Summo Pontifici pro suo iubilaeo sacerdotali exhibet, in hac qualicumque peregrinatione promovenda, paranda, Romam ducenda, optimos habui adiutores Patres Societatis et in primis Patrem Generalem. Gratias igitur ago quam maximas.

Laetitia quoque valde afficior quia hodie meum gaudium vestro gaudio sociare possum. Divina Providentia et Bonitas, quae attingit omnia a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, voluit res ita comparare ut hoc festum D. N. Iesu Christi Regis apud vos, in hac domo agere possem: hoc festum, quod est quidem festum Ecclesiae, universalis Ecclesiae, sed quod peculiari quadam ratione festum Societatis Iesu proprium dici potest. Sanctissimus

(1) V. supra, pag. 314.

enim ille Patriarcha, Societatis Iesu Fundator, nihil aliud voluit, nihil aliud intendit in condenda Societate quam Christi Regnum firmare, propagare in mundo, defendere, sicut nos Hispani canimus in nostro hymno S. Ignatii Loyolaei qui incipit:

«Fundador sois Ignacio y General
De la Compañía real,
Que Jesús con su nombre distinguió».

Et hoc Societas semper fecit, ad hoc mirabili quadam providentia servata fuit et resuscitata, hoc ubique intendit et procurat.

Gratitudinis et laetitiae sensa etiam pro hac caeremonia benedictionis vestri Sacelli publici, quam mihi concessum est hodie peragere. Haec Domus in Societate Iesu habet rationem mentis dirigentis et cordis moventis atque calorem praebentis. Et quanta luce, quanto calore indiget Societas ad omnia sua opera promovenda et regenda! Et hic, in hoc Sacello, coram hoc altari petetur lux et calor: in hoc Sacello, coram hoc altari sanctissimo illi Praeposito Generali Francisco a Borgia dicato.

Signum et pignus mei gaudii et meae gratitudinis sit pastoralis benedictio amplissima, qua omnes et hic et ubique praesentes Societatis filios magno affectu complector. Rogo autem ut mei quoque meorumque filiorum memores sitis.

Epistola RR. DD. Episcoporum Ruthenorum ad Patrem Nostrum data (1).

In pace. *Romae d.* 29 *Octobris* 1929.

REVERENDISSIMO PATRI WL. LEDÓCHOWSKI
PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU.

Reverendissime Pater,

Non sine Divinae Providentiae dispositione factum est, ut Episcoporum Ruthenorum primus in hac Sacra Urbe habitus conventus ad aedes Generalitias Societatis Iesu nos coadunaret. Magnum enim opus Unionis Ecclesiae Ruthenae cum Sacra Sede Apostolica adiuvantibus Patribus e Societate Iesu coeptum, ab iisdem

(1) V. supra, pag. 314.

semper est opera, consiliis, laboribus, in periculis omnibus sublevatum. Temporibus adversis semper inveniebant praedecessores nostri, inveniebamus et nosmetipsi in sacerdotibus huius celeberrimae Societatis omne adiutorium omnemque opem. Monasticus ordo Basilianus labore Patrum e Societate Iesu ad pristinam disciplinam reformatus; Alumni Dioeceseos nostrarum Romae in Universitate Gregoriana, in Instituto Orientali, in Istituto Biblico, Oeniponte in Canisiano Collegio instituti; Pontificium Collegium Ruthenum a Patribus Societatis Iesu primis post institutionem annis moderatum: — haec meritorum Societatis in Ecclesiam nostram pars.

Et nuper cum Romam in conferentiam venimus, recepti sumus in hac hospitali domo magna cum caritate et Reverendissima Paternitas Vestra voluit labores nostros magno concursu orationum et Sacrificiorum augere pro sua magna erga Ecclesiam nostram benevolentia.

Antequam ex hac domo discesserimus, volumus Tibi, Pater Reverendissime, gratitudinis nostrae testimonium his litteris relinquere.

Deus benedicat Societatem Iesu eamque sanctis vocationibus ditet, concedat Ei adiutorium Suum in omnibus operibus et laboribus, quos Ad Maiorem Dei Gloriam suscipit. Benedicat Deus Omnipotens domum pro ritu orientali erectam et omnes Societatis labores pro Unione susceptos et suscipiendos. Amen.

Reverendissimae Paternitatis

Fratres in Christo:

† Andreas Szeptyckyj
Arch. Leopoliensis.

† Gregorius Chomyszyn
Ep.s Stanislaopoliensis.

† Joannes Buczko
Ep.pus Auxil. Leopoliensis.

† Dionysius Njaradi
Ep.pus Crisiensis.

† Petrus Gebé
Ep.pus Munkacsiensis.

† Josaphat Kocylowskyj
Ep.pus Premisliensis,
Samborien. et Sanochiensis.

† Paulus Goydič, O. S. Bas.
Ep.pus Admtor. Aplicus Prešoven.

† Gregorius Lakota
Ep.pus auxil. Premisl.

AUGMENTUM SOCIETATIS

INEUNTE ANNO 1930

Secundum primos Catalogos ad nos allatos (1)

Prov. Taurinensis	+ 21	Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae	+ 19
„ Castellana	+ 46	„ Poloniae Minoris	+ 20
„ Toletana	— 9	„ Germaniae Superioris	+ 12
„ Lusitana	+ 13	„ Novae Angliae	+ 11
„ Legionensis	+ 20	„ Aragoniae	+ 8

SUMMA 190

(1) Eo ordine quo Catalogi ad nos pervenerunt.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS

DIE 15 IUNII 1929 HABITA

dum Apostolatus Orationis Sodales undique Romam convenientes pridie beatificationis P. Claudii de la Colombière Beatissimum Patrem venerabundi adeunt (1).

Oratio Patris Nostri ad Summum Pontificem.

Beatissimo Padre,

Con l'animo profondamente commosso vengo ad umiliare ai piedi della Santità Vostra, a nome dell'Apostolato della Preghiera, che è qui presente nelle modeste ma svariate delegazioni, non di Roma solamente e di quasi tutte le parti d'Europa, ma anche di vari paesi dell'America, i più vivi ringraziamenti per l'imminente glorificazione del Venerabile Servo di Dio P. Claudio de la Colombière, che tra poche ore potremo invocare col titolo di Beato.

L'Apostolato della Preghiera ha sempre procurato di promuovere e fomentare la devozione al Sacro Cuore, così che in alcuni paesi dal popolo viene detto semplicemente Lega del Sacro Cuore. Perciò da lungo tempo esso desiderava di venerare il P. de la Colombière sugli altari, vedendo appunto in lui un vivo esempio di quel vero apostolato, umile e nascosto ma efficacissimo, che è così proprio dell'Apostolato della Preghiera, e sperando di avere in lui un nuovo potente protettore.

Ci rallegriamo tanto più di questa esaltazione del Servo fedele e del perfetto Amico del Sacro Cuore, quanto più lunga fu l'attesa e quanto più chiari sono i segni che ci dimostrano essere appunto questa l'ora voluta dalla divina Provvidenza per un sì lieto avvenimento. Poichè la beatificazione del P. de la Colombière, che tanto si è adoperato per l'istituzione della festa del Sacro Cuore, non solo avviene precisamente in quest'anno, in questo mese, in cui abbiamo per la prima volta celebrato la festa del Sacro Cuore col nuovo splendido

(1) V. infra, pp. 338, 339, 342.

aumento di culto liturgico, decretato dalla Santità Vostra; ma il giorno stesso di domani, 16 giugno, assegnato per tale glorificazione senza alcuna industria umana, è stato proprio scelto dalla Provvidenza divina, essendo appunto l'anniversario di quella « grande rivelazione » come si suole chiamare, in cui il Sacro Cuore manifestò all'umile sua Discepola tutti gli amorosi suoi desideri, assegnandole il P. de la Colombière come suo valido ausiliare nell'ardua impresa che le imponeva.

Dopo Dio, noi dobbiamo l'ineffabile consolazione di questo giorno memorando a Vostra Santità, e perciò ripetiamo il nostro umile e filiale ringraziamento. Ma insieme domandiamo alla Santità Vostra un favore che ardentemente desideriamo: ed è che l'Apostolica Vostra Benedizione ottenga da Dio a noi tutti qui presenti ed a tutto l'Apostolato della Preghiera la grazia di una preghiera fervente, piena di fede, piena di fiducia e d'amore, una preghiera veramente apostolica, continua, perseverante, affinchè, unicamente intenti al più alto fine di tutto il mondo creato, affrettiamo il compimento di quel voto che tutta la Chiesa ogni anno fa salire al cielo con quell'ardente supplica: « Fate, o Signore, che da un capo all'altro della terra risuoni quest'unica voce: Sia lode a quel Cuore divino da cui venne la nostra salute; a Lui si canti gloria e onore nei secoli. Così sia ».

Latina interpretatio:

Beatissime Pater,

Profundo animi motu affectus, ad Sanctitatis Vestrae pedes accedo, Apostolatus Orationis nomine, qui per suos haud multos sed multiplices ac varios legatos, non Romae solum ac totius fere Europae, verum etiam e plerisque sepositae Americae regionibus, in conspectu Vestro est. Venimus autem gratias quam humillimas Sanctitati Vestrae acturi, propter gloriam Ven. Servo Dei P. Claudio de la Colombière (quem post paucas horas " Beatum „ invocabimus) iam iam in oriente conspicuam.

Apostolatus enim Orationis, qui Sacratissimi Cordis cultum numquam non promovit ac fovit, — adeo ut alicubi vulgo nonnisi " Foedus SS. Cordis „ appelletur — iamdiu ac semper in votis habuit, Ven. Patrem de la Colombière, quem sui apostolatus typum ac patronum haberet, ad aras tandem evectum iri.

Quo igitur maior accidit expectatio eo nunc iucundior exsurgit animi voluptas, quod " Servus fidelis et Sacri Cordis amicus „ Beatorum numero adscribatur, gloria et honore coronetur. Et opportune quidem et in tempore venit haec hora, ita ut divinum Numen in ea manifestum fiat.

Contingunt enim haec, hoc anno, hoc mense, quo primum, festum Sacratissimi Cordis, decreto Sanctitatis Vestrae, splendido novo ritu celebravimus: festum illud, inquam, quod Ven. P. de la Colombière instituendum curare coepit.

Dies praeterea crastinus, 16 iunii, qui dies novum Beatum gloria circumdabit, a divina Providentia, nulla interveniente humana industria, omnino lectus videtur

propterea quod in anniversarium diem "magnae revelationis" (sic appellatur) incidat, quando Cor Iesu arcana et desideria sua humillimae Discipulae manifestavit, eique Ven. Patrem de la Colombière adiutorem tanto muneri adimplendo promisit.

Beatissime Pater, post Deum, Sanctitati Vestrae immensam consolationem hanc adscribimus, quapropter demisse et ingenue (ut filios decet) gratias agimus: itemque rogamus ut Apostolica Benedictio nobis hic praesentibus et Sodalitati Apostolatus Orationis benigne impertita, gratiam eiusdem orationis — quae cum fide, reverentia, amore perseverantia fiat — impetret. Sit ea oratio apostolica, quae totius orbis fines attingat et Dei intentiones in cunctis creatis quaerat, iuxta Ecclesiae vota, quo citius fiat quod Christi Sponsa quotannis publice orat per ea verba "Perfice, Domine, ut ab utroque vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus; ipsi gloria et honor in saecula. Amen".

Responsum Summi Pontificis (1).

Il Santo Padre, dopo aver detto che quella bellissima assistenza Gli metteva nel cuore il desiderio di poter parlare, come un giorno gli Apostoli, in modo da essere inteso da ciascuno dei suoi uditori nella lingua propria, e dopo aver raccomandato a ciascuno dei direttori di ripetere le sue parole nella lingua dei vari rispettivi gruppi, espresse tutta la sua gioia nell'aver potuto vedere, e salutare nella casa del Padre comune tanti figli convenuti da tante parti della grande famiglia cattolica, con intense ed efficaci manifestazioni di fede e di amore verso il divino Re, verso la S. Chiesa Romana, Madre di tutte le Chiese, verso il Vicario di Cristo, Padre comune di tutti i fedeli. Rare volte, pur tra le grandi, belle e consolanti udienze accordate in quello stesso luogo, era accaduto al Santo Padre di vederne un'altra bella, grande e consolante come quella che in quel momento si svolgeva.

Varie erano le circostanze che concorrevano ad aggiungerle bellezza e consolazione, e la prima era la varietà della provenienza dei pellegrini giunti da tante parti d'Europa e non solo d'Europa, con tanta varietà da ridestare più vivo nel cuore del Padre il senso dell'universale paternità alla quale Iddio nei misteriosi suoi disegni lo ha chiamato. Essi venivano inoltre al richiamo del Sacro Cuore di Gesù per glorificarlo, ringraziarlo, rinnovagli l'omaggio della loro fedeltà nel nome di un grande Servo ed Apostolo suo, il Venerabile ed oramai Beato Claudio de la Colombière. Venivano a portare a questo Sacro Cuore l'espressione del desi

(1) Ex ephemeride « *Osservatore Romano* » diei 17-18 iunii 1929.

derio di vedere che il divino sacro fuoco che lo divora senza consumarlo, possa dilatarsi sempre più sulla terra, cosicchè il suo benefico e santo regno sia consolidato e dilatato in tutta la terra e tra tutti i popoli. Questi sentimenti venivano espressi per mezzo dell'Apostolato della Preghiera, apostolato tanto conforme ai desideri del Cuore divino che, come era stato bene accennato, in più di un paese, Apostolato della Preghiera e Lega del Sacro Cuore hanno lo stesso nome e lo stesso significato. Venivano ancora quei diletti figli nella felice coincidenza della più grande solennità liturgica della festa del Sacro Cuore, e nella ricorrenza del giorno stesso di una delle più grandi apparizioni e rivelazioni del Cuore del Redentore. Forse qualcuno vorrebbe ciò chiamare combinazione e fortuito incontro, ma il vero è che c'è stata la mano di Dio, del divino Re che ha servito ai palpiti del divin Cuore e che ha preparato queste cose, ha combinato questi incontri così belli, così consolanti, da costituire già da soli una grande e ineffabile ricompensa alla generosità dello zelo che ha portato quei cari pellegrini da luoghi così lontani e senza dubbio a prezzo, per molti, di tanti disagi, fatiche e dispendi. E' il Cuore di Gesù che, sempre divinamente cavaliere, si affretta alle sue divine ricompense, come lo vediamo procedere alla ricompensa che da tanto tempo riserbava al suo fedele Servo e zelantissimo Apostolo, il Beato Claudio de la Colombière, e che si verifica in un'ora rischiarata da misteriose luci di divina preparazione in modo da riuscire tanto più gloriosa al suo Servo e tanto più consolante ai suoi divoti.

Tutto questo ben poteva far comprendere con quali sentimenti il Santo Padre riguardasse quei cari figli e si accingesse ad impartir loro l'implorata Benedizione Apostolica invocando su loro quello che il Profeta chiamava spirito di grazia e di preghiera, *spiritum gratiae et precum*. A questo spirito di preghiera sono legate tutte le grazie, poichè tutto è stato promesso alla preghiera. In questo apostolato pertanto tutte le ricchezze sono aperte ai cuori di coloro che lo praticano e tanto più largamente quanto meglio lo praticano, quanto più fedelmente corrispondono nella pratica alle due bellissime parole, Apostolato e Preghiera, in modo cioè che sia preghiera tutto quello che può e deve esserlo, e in un certo senso tutto può e deve essere preghiera, purchè sia compiuto come un apostolato. Ma ci sono due cose che più facilmente e più opportunamente possono essere offerte come preghiera: il lavoro e la sofferenza. Pregare, lavorare, soffrire sono tre cose, o meglio

sono una cosa sola, e fu assai ben detto «qui laborat orat» chi lavora prega, come può ancor meglio dirsi che chi soffre prega, giacchè c'è nella sofferenza una voce che il Cuore di Dio particolarmente intende, perchè egli sa e ricorda che soffrendo ha ottenuto la nostra redenzione e salute. Pregare, lavorare e soffrire, se occorre e quando occorre, per il Cuore di Gesù, secondo i suoi desideri ed intenzioni, ecco una preghiera grande, preziosa che impegna facilmente tutta la vita, poichè quale è la vita che non debba avere qualche lavoro, quale è la vita che non debba sopportare qualche sofferenza? Dunque pregare, lavorare, soffrire ed offrire tutto questo al Cuore di Gesù con intenzione di apostolato: ecco la magnifica missione di tutti coloro che sono ascritti all'Apostolato della Preghiera.

Ma anche l'apostolato deve essere inteso in tutto il suo significato poichè l'Apostolato della Preghiera non deve escludere mai due altre forme di apostolato. Quello della preghiera ha la felice prerogativa di essere il più facile e possibile a tutti, poichè chi è che non può pregare? Ed insieme ha anche l'altra sublime prerogativa di essere il più efficace poichè alla preghiera tutto è promesso e in nessun'altra direzione il Cuore di Dio ha preso un impegno così solenne come quello che prendeva allorchè disse: «Chiedete e riceverete; qualunque cosa avrete domandato pregando vi sarà data». Ma altre due forme di apostolato devono essere non meno diligentemente praticate dagli ascritti all'Apostolato della Preghiera, l'apostolato della parola che è anch'esso assai facile poichè a chi non capita, nella moltitudine delle vicende della vita, un momento propizio per dire una buona parola, una di quelle parole che può far tanto bene, che può essere luce ad un'anima, può rimettere la pace in un cuore agitato, può essere la salvezza di un'anima? E poi l'apostolato ancor più doveroso della vita, dell'esempio, dell'edificazione, quel glorioso apostolato che faceva dire all'antico Vescovo e martire: «Noi non diciamo molte parole ma viviamo». La nostra vita è davanti a voi quasi per dimostrarvi come si deve vivere in modo degno di Dio, secondo i desideri del Cuore divino. Questo è il glorioso apostolato che deve essere continuamente esercitato con la composizione, l'ordinazione veramente cristiana e cattolica di tutta la vita, di tutta la conversazione, di tutto il contegno, in tutti i rapporti: individuali, là dove non c'è che il controllo dell'occhio divino; famigliari, là dove c'è l'esercizio

dei più sacri doveri; sociali, in ogni manifestazione della vita pubblica e privata.

Con tali sentimenti ed esortazioni il Santo Padre impartiva a tutti i presenti la Benedizione Apostolica abbracciando in essa tutte le loro famiglie, pensieri ed affetti e tutte le opere da loro rappresentate. Annunciava poi che avrebbe fatto distribuire come ricordo dell'udienza la cara piccola medaglia che viene dal Santuario di Santa Teresa del Bambino Gesù e che, affidata ai direttori del pellegrinaggio, i pellegrini avrebbero dovuto ricevere come se fosse porta a loro dalle mani stesse del Padre comune.

Terminato il discorso, il Santo Padre impartì la Benedizione Apostolica e poi lasciava la sala tra fervidissime acclamazioni.

Latina interpretatio:

Beatissimus Pater praefatus est, linguarum dono in desiderio tunc Sibi esse ut, quemadmodum Apostoli, et Ipse ab unoquoque auditore lingua eius loquens audiretur: verum id muneris singulis Directoribus propria lingua Ipsius sensus communicandi tribuebat. Primum autem, quod interpretatum volebat, gaudium erat quo Ipsum afficiebant cum ex omni magnae catholicae familiae gente venirent, tantumque amorem tantamque fidem manifestarent. Raro Sibi contingere ut in illo ipso loco par aliquid cerneret.

Postea his fere verbis sermocinatus est:

« Ab adiunctis loquimur: primum autem a numero peregrinorum percellimur; varius is quidem utpote qui partes Europae, nec tantum Europae, comprehendat, et adeo varius, ut paternum affectum Nostrum, quo ad universum orbem ferimur, nunc vehementius pulset. Praeterea venistis a Iesu Corde vocati: ut Illi gloriam, gratiam, servitutem profiteamini sub nomine magni Servi et Apostoli Eius Venerabilis, immo iam iam Beati Claudii de la Colombière. Venistis, ut studium quo ad terras divino illius Cordis igne incendendas urgemini, Eidem patefaciatis, ita ut regnum Eius firmius, longius, sanctius inter omnes gentes stabiliatur. Haec omnia intendit atque exprimit Apostolatus Orationis ad Sacratissimi Cordis vota; bene namque, ut audivimus, tum nomine tum re « Sacri Cordis Foedus » alicubi appellatur. Venistis insuper, aucto ritu liturgico eiusdem amantissimi Cordis, eodemque die quo « grandis Eius apparitio et revelatio » facta est. Sit qui dicat haec fortuito accidisse; verum enim vero manus Dei haec omnia disposuit, adiuncta composuit, ut vel solum ex hoc ipso, post longa itinera, post labores, peregrinis magna compensatio exsistat. Est, scilicet,

Cor Iesu divino semper modo remunerationum largitor, id quod honorificentius in studiosissimo Apostolo suo Beato de la Colombière praestare cernimus, et clientulis suis semper iucunde exhibere conspicimus.

Quae cum ita sint, divinare potestis quo animi affectu rogatam Apostolicam Benedictionem simus largituri, postulantes pro vobis cum Propheta « spiritum gratiae et precum ». Hic precum spiritus omnes gratias iunctas habet, omnia enim orationi promissa sunt. Agentibus ergo hunc apostolatum omnes divitiae reserantur, et quo melius ac fidelius is exercetur eo uberiores eiusmodi divitiae deprehenduntur. Pulcherrimae sunt geminae hac voces: « Apostolatus, Oratio ». Sit « Oratio », quidquid oratio potest ac debet esse; potest autem ac debet quidvis aliquo sensu oratio esse, modo fiat ut « Apostolatus ».

Verum duo sunt quae facilius et opportunius ut « oratio » offerri possunt; sunt autem: « labor et patientia ». *Orare, laborare, pati,* tria sunt, vel potius unum sunt, nam bene dictum est: « qui laborat orat »; melius autem qui patitur orat, eiusque vox Cor Dei melius attingit, cum et Ipse patiendo redemptionem ac salutem nostram confecerit. Orare, laborare, pati, temporibus suis, propter Cor Iesu, iuxta vota et mentem Ipsius, ecce magna pretiosaque oratio, facile vitam omnem insumens; nam quae vita sine labore? aut quae sine patientia? Igitur orare, laborare, pati, apostolica mente id Cordi Iesu offerendo, en magnifica missio eorum omnium qui Apostolatui Orationis nomen dant.

Sed hic Apostolatus in omni sua significatione accipiendus est. Prima eius forma quae est « oratio » praerogativas quasdam habet: et primo quidem, ut cunctis sit facilior ac veluti ad manum; quis enim orare nequeat? Deinde (sublimis ea praerogativa), ut efficacior sit, cum orationi cuncta sint promissa, ac divinum Cor nullo sollemniori officio adstringatur quam per ea Ipsius verba: « Petite et accipietis: quidquid orantes petitis fiet vobis ». Est et Apostolatus alia forma quae non minori studio a Sodalibus in praxim deduci debet: ea est sermonis apostolatus; cunctis haec quoque facilis. Cui enim in vitae vicissitudinibus occasio propitia deesse poterit ut bona verba dicat, quorum aliquando vel unum, lucem, pacem, et, quid maius? animae etiam salutem audienti afferre possit? Tertia forma, in quam magis ac magis insistere oportet, est vitae et exempli apostolatus: apostolatus, inquam, de quo antiquus, quidam Episcopus et Martyr aiebat: « Non multa verba dicimus, sed vivimus », ac si diceret: Nostra vita in conspectu vestro est, quasi exhibens qua ratione « digne Deo ambuletis » per divini Cordis placita. Gloriosus hic apostolatus continua exercitatione perfici debet, quod fiet, vitam ordinando christiano nomine et professione dignam; conversationem et omnem vitae rationem, secreto ac publice, in familia ac societate, quasi Deo inspectore sancte ac officiose componendo ».

Hic Sanctus Pater finem dicendi fecit; mox eisdem sensibus et hortationibus inhaerens, auditores benedictionibus omnibus, ut solet, latissime atque effuso corde cumulavit. Discedens parvum nomisma S. Teresiae a Iesu Infante, nomine ac manu sua, mnemosynon distribuendum mandavit.

Post haec, inter plausus et ovationes immensas Beatissimus Pater ab aula abscessit.

Aderant Peregrini:

Ex Gallia	*circiter*	250
„ Germania	„	150
„ Statibus Foederatis Amer. Sept. .	„	150
„ Neerlandia	„	70
„ Polonia	„	55
„ Hispania.	„	40
„ Canada	„	40
„ Argentinia	„	30
„ aliis variis nationibus . . .	„	25
Summa:	*circiter*	800

Aderant praeterea, praeeunte Patre Nostro cum PP. Assistentibus, Director generalis delegatus Apostolatus Orationis P. Gulielmus Kea aliique complures Nostri sive e Curia Praepositi Generalis sive alii (Directores Nuntiorum SS. Cordis etc.), et plurimi socii Romani Apostolatus Orationis cum Secretario Nationali P. Paschali Aloisi-Masella (Prov. Rom.) eiusque adiutoribus.

Omnes qui adstabant computati sunt circiter **2000** eoque amplius.

II.

DE BEATIFICATIONE P. CLAUDII DE LA COLOMBIÈRE (16 IUNII 1929).

Quibus quasi gressibus praeclara atque optatissima beatificationis causa Venerabilis P. Claudii de la Colombière ad felicem exitum pervenerit, iam omnes Nostri viderunt ex libello ad totam Societatem nuper misso, cui titulus « *Acta Sanctae Sedis de beatificatione B. Claudii de la Colombière e Societate Iesu* » ubi etiam Patris Nostri ad Summum Pontificem orationes et Beatissimi Patris allocutiones editae sunt: haec autem documenta in proximis quoque *Actis Romanis* exscribentur, excepta Pontificia Allocutione ad Sodales Apostolatus Orationis in pervigilio beatificationis habita, quae opportuniorem locum hic supra invenit (1).

Remanet igitur ut festorum illorum dierum narrationem quandam ex ordine retexamus, ne tanti pro Societate nostra eventus memoria in nostris hisce commentariis desideretur.

Peregrinationes peculiares.

Cum acta Sacrae Congregationis Rituum eo devenissent, ut beatificatio « Servi fidelis perfectique amici SS. Cordis » vix non certa videretur, per P. Gulielmum Kea, Directorem generalem delegatum Apostolatus Orationis, invitavit Pater Noster omnes *Nuntiorum SS. Cordis* Directores qui de Societate essent, ut in designatum beatificationis diem Romam venirent secumque selectos peregrinos ducerent, qui aliorum quoque Sodalium personam gererent. Invitationi Patris Nostri sedulo satisfacere conati sunt Directores, quantum locorum et temporis rationes permiserunt. Aderant ergo (praeter Romanos Patres Apostolatui Orationis et *Nuntio Italico SS. Cordis* addictos aliosque quosdam Patres cultus SS. Cordis per Italiam peculiares promotores) « Patres Directores *Nuntiorum* Gallici, Hispanici, Lusitani, Melitensis, Graeci, Austriaci, Germanici, Americani, Lituanici, Slovaci, Slovenici, Hunga-

(1) V. supra, pag. 331-338.

rici, Croatici, Canadensis, Vasconici. Aliorum Nuntiorum Redactores ipsi impediti delegaverant Patrem, qui eorum vices gereret: sic delegati venerant pro Nuntiis Gallico-Canadensi, Neerlandico, Columbiano, Mexicano, Andino-Platensi, Polonico, Belgico. Omnes simul circa 50 Patres Romam venerant. Praeterea variae nationes instituerunt peregrinationes sat numerosas: Gallia, Germania, Hispania, Neerlandia, Canada, Status Foederati Americae, Argentina, Polonia, Belgium. Peregrini omnes simul erant 800 » (1). — Venerant praeterea, a Patre Nostro item invitati, Praepositi Provinciarum Lugdunensis cum Socio et Tolosanae, aliique Patres de causa novi Beati aut de cultu SS. Cordis haud communiter bene meriti, ut PP. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.) olim semel atque iterum Director generalis delegatus Apostolatus orationis, P. Fridericus Rossel (Prov. Lugdun.) Vicepostulator causae Patris de la Colombière, P. Carolus Parra (Prov. Tolos.) Secretarius Nationalis Apostolatus Orationis in Gallia, P. Augustus Hamon (Prov. Franc.) historiographus devotionis SS. Cordis, etc.

Peregrinis sese adiungebant interdum, praesertim cum hi a Summo Pontifice excepti sunt (15 iunii) et ipso beatificationis die (16 iunii) multi Apostolatus Orationis sodales Romani; et quoniam per illos dies habebatur in Urbe Congressus nationalis Foederationis « Sacerdotum Adoratorum », qui in nostro templo S. P. Ignatii apud Collegium Romanum conveniebant (2), complures etiam ex his sacerdotibus, ut in ipsius Congressus programmate invitati erant, beatificationi aderant.

Nec praetermittendum, inter peregrinos e Gallia venisse dominam Aloisiam Mariam Pirio, quae die 9 maii 1890, tunc 19 annos nata, ab insanabili morbo « Pott » nuncupato, intercedente Ven. Claudio, illico sanata erat: quod miraculum unum fuit ex tribus approbatis pro beatificatione, et tabula picta expressum cernebatur in Basilica Vaticana.

(1) " *Nuntius ad Nuntios* „ an. V, n. 9, pag. 125. — Si quis forte petat quid sit istud " Nuntius ad Nuntios „ (nam solis *Nuntiorum* Directoribus reservatur), sciat illum esse parvum quidem sed utilem libellum periodicum, quem Directio Generalis Apostolatus Orationis bis in mense edit in commodum Redactorum *Nuntiorum SS. Cordis*.

(2) Hac de causa, praeterquam quod ad obsequium Societati praestandum, Pater Noster inter summos Congressus Moderatores inscriptus erat.

Pervigilium beatificationis.

Die 15 iunii, mane, apud Catacumbas Priscillae, domus quam ad usum liturgicum et ad recipiendos pios visitatores, ex desiderio Summi Pontificis, Apostolatus Orationis donis undique collectis exstruendam curavit, ab Emo. Cardinali Basilio Pompilj, Urbis Vicario, sollemniter inaugurata est. Huius ritus descriptionem ex « Nuntio ad Nuntios » (1) mutuatam transcribimus:

«.... Ob angustiam loci omnes peregrini Ap. Or. huic caeremoniae adsistere nequierunt, sed soli Redactores Nuntiorum et Patres deputati et curiales una cum coetu electo Romanorum adfuerunt. Praeter eos, A. R. P. Generalis Societatis Jesu, aliqui Praelati, RR. DD. Camillus Caccia Dominioni, Carolus Respighi, Iulius Belvederi et nonnulli peregrini maioris notae.

« Benedictione domus secundum Rituale Romanum peracta et dicto psalmo *Miserere*, E.mus Cardinalis nomine Sancti Patris quaedam verba gratulatoria pronuntiavit et benedictionem Summi Pontificis impertivit. Dein clarus ille professor Horatius Marucchi, Magister Collegii Cultorum Martyrum et Romanarum Catacumbarum peritissimus, allocutionem habuit ad E.mum Cardinalem omnesque praesentes, qua magnam domus utilitatem exposuit et Apostolatui Orationis pro tam pretioso dono gratias egit. Dein lapis commemorativus detectus est, qui haec refert:

HANC DOMUM AD COEMETERIUM
PRISCILLAE EXSTRUCTAM
PIO XI PONT. MAX. GLORIOSE REGNANTI
QUINQUAGESIMUM AB INITO
SACERDOTIO ANNUM AGENTI
PIA APOSTOLATUS
ORATIONIS SODALITAS
PER TOTUM ORBEM DIFFUSA
GRATULABUNDA DONO DAT ATQUE DICAT
PRIDIE BEATIFICATIONIS
CLAUDII DE LA COLOMBIÈRE S. J.
XV IUNII MCMXXIX

Eodem die vespere Beatissimus Pater in Aedibus Vaticanis omnes Apostolatus Orationis peregrinos, additis (ut diximus) fere

(1) An. V n. 9, iulio 1929, pp. 125-126.

mille ex Romanis eiusdem sodalitatis sociis, benignissime excepit. Aderant etiam, praeter Patrem Nostrum cum Assistentibus, RR. DD. Episcopi Gratianopolitanus (*Grenoble*), Augustodunensis (*Autun*), Molinensis (*Moulins*), Michael d'Herbigny S. I. Praeses Instituti Orientalis et nonnulli alii Praelati. Peregrinis aliisque per diversas aulas dispositis, Summus Pontifex lente pertransiens singuli annulum osculandum praebuit, interdum cum quibusdam paulisper collocutus. Omnibus dein in aulam Benedictionum convenientibus, Beatissimus Pater, throno assidens, Patris Nostri oratione attente audita, longam habuit allocutionem: uterque sermo in libello iam citato una cum latina versione invenitur (1), et hic supra exscriptus est (2).

Cum haec finem habuerunt, iam hora nona erat vespertina. Summus Pontifex « omnibus praesentibus Benedictionem Apostolicam impertivit, hac complectens peregrinorum familias, intentiones et affectus, omnia opera et associationes ab iisdem repraesentatas. In memoriam huius magnificae audientiae omnibus pulchrum nomisma (3), nomine ac manu sua distribuendum mandavit. — Tum omnibus adstantibus plaudentibus atque laetitia exsultantibus Sanctitas Sua ex aula benedictionum discessit » (4).

Quo largius autem haec Apostolica Benedictio ad omnes dilectos filios etiam longinquos perveniret, concedere dignatus est Beatissimus Pater ut omnes Patres Directores Apostolatus Orationis omnesque Patres deputati necnon omnes Parochi et sacerdotes saeculares, qui Romam venissent occasione beatificationis Patris Claudii de la Colombière, in patriam reduces facultatem haberent semel dandi benedictionem papalem suis Sociis Apostolatus Orationis vel suis fidelibus.

(1) « *Acta Sanctae Sedis de beatificatione B. Claudi de la Colombière e S. I.* 16 iunii 1929, pp. 38-45.

(2) V. supra, pp. 331-338.

(3) Nomisma ex altera parte Summum Pontificem, ex altera S. Teresiam a Iesu Infante Missionum Patronam exhibet: omnibus peregrinis Romam hoc anno venientibus plerumque hoc idem nomisma a Carmelitis Lexoviensibus ad id Sanctitati Suae donatum distribuitur.

(4) « *Nuntius ad Nuntios* » l. c., pag. 129.

Matutinae caeremoniae beatificationis.

Purissima luce affulsit dies sequens, 16 iunii, in nostris annalibus perpetua memoria colendus.

Cum Pontifex mane non intersit, in Basilicam S. Petri ingredi unicuique fas est, quamvis tesserae distribuantur pro peculiaribus locis et pro suggestis, quas peregrini nostri omnes acceperunt. E peristylo centrali in parte exteriore Basilicae magnum vexillum Patrem de la Colombière gloria donatum refert. Vexillum tamen coopertum manet, quoadusque in Basilica hymnus canatur « Te Deum ». Sub atrio principali, ianuae imposita erat magna tabula Beatum repraesentans tamquam electum Apostolum SS.mi Cordis. Item in Basilica, super Cathedram Sancti Petri, medium in artificiosa « gloria Berniniana » (quam vocant ab artifice Bernini) locum tenet magna tela, item sub initio adhuc velata, Beatum ad caelum ascendentem referens. Ad latus « Confessionis S. Petri » duo vexilla ingentia duo ex tribus miraculis exhibent a novo Beato patratis et iure probatis: sanationes scil. Edmundi Remy et Mariae Aloisiae Pirio. Tota absis lampadibus electricis, peripetasmatis et omnigenis ornamentis coruscat. Etiam gigantea statua S. P. Ignatii, quae inter Sanctos Ordinum Fundatores in Vaticana Basilica cernitur, perbelle ornata erat; quin etiam, quod singulare huius beatificationis omnino fuit, altare a Benedicto XV SS. Cordi Iesu S. Margaritae Mariae Alacoque per visum apparenti dicatum, etsi ab abside aliquantulum remotum, lampadum corona aliisque honoris signis decorabatur.

Hora circiter 10 a. m. sacrae pompae initium fit. Iamque ingreditur Vaticanum Capitulum, cui praeest Eminentissimus Archipresbyter, Card. Raphael Merry del Val, ipsumque comitantur sex alii Eminentissimi Patres purpurati Sacrae Rituum Congregationi addicti; hos autem stipant Episcopi, Praelati, Consultores: Pater Noster cum P. Postulatore statim post Canonicos Vaticanos locum habet. Adorato Deo, sedent omnes. Mox ad Sacrae Rituum Congregationis Praefectum Em. Card. Camillum Laurenti accedit eiusdem Congregationis Secretarius Rev.mus D. Angelus Mariani cum P. Carolo Miccinelli, Societatis Postulatore generali, qui Litteras Apostolicas porrigens facultatem petit eas evulgandi, quibus Ven. P. Claudio de la Colombière Beatorum honores decernuntur. Cardinalis, quantum in se est, optatam facultatem fa-

cit, sed postulantes remittit ad Cardinalem Basilicae Archipresbyterum ab eo quoque permissionem petituros. Hunc demisse alloquitur Secretarius Sacrae Congregationis rem postulatam brevi exponens. Annuente autem Cardinali Archipresbytero, ecce Canonicus quidam Vaticanus (Rev.mus D. Alexander Bernabai is fuit illo die) suggestum ascendit, intentisque omnibus, praeconium Pontificium, novi Beati vitam, miracula, causae historiam et cultus indultum complectens, elata voce proclamat. Lectione vix absoluta, assurgentibus omnibus hymnus « Te Deum » praecinente Constantinopolitano Patriarcha canitur, dum media in gloria Berniniana, Beati imago altissima inter splendores detegitur: fulgent lampades electricae ac nova luce Beatum offundunt: in ara sub Cathedra Apostolica eius reliquiae exponuntur: vexillum ante fores Basilicae revelatur: nolae maximi Christianorum templi perstrepunt, atque Urbi et Orbi tinnientes, novum Beatum annuntiant atque salutant. Interea ad altare reliquiis primum incensum adoletur, ac primum Sacrum sollemni ritu pontificali de ipso Beato celebratur. Huic toti matutinae caeremoniae operam dedit Excellentissimus DD. Antonius Anastasius Rossi, Constantinopolitanus Patriarcha titularis idemque Canonicus Vaticanus.

A meridie, eo apparatu qui alias in « Memorabilibus » descriptus est (1), Summus ipse Pontifex novensilem Beatum veneraturus in Basilicam venit.

Tesserae ad ingressum tunc obtinendum necessariae proximis diebus avidissime exquirebantur: et revera, quamquam iam duae praecesserant eo ipso mense beatificationes (inter quas ea frequentatissima Beati Ioannis Bosco) nec aeris tempestas multum favebat, ingens tamen populi concursus fuit.

Vespere igitur hora 6, argenteae tubae sollemnem Pontificis ingressum festivo sonitu annuntiant. Praeeunt pontificiae Curiae digniores et Purpurati Patres, numero circiter 20, dum Episcopi ceterique Praelati in abside Basilicae iam adsunt; Episcopos inter aderant etiam Gratianopolitanus, Augustodunensis et Molinensis.

Incedit Pontifex sella gestatoria elatus, piis acclamantibus turbis paterna benevolentia benedicens. Ut in absidem advenit, e sella descendit, genua ad faldistorium flectit, SS. Sacramentum

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1923, pag. 59, ubi de Pii XI visitatione ad B. Bellarminum; itemque, *ibid.*, 1925, pp. 293-294, ubi de simili caeremonia pro BB. Martyribus Canadensibus.

publice exponitur adorandum, cui ipsemet Pontifex thura reddit, a Cardinali Archipresbytero comitatus. Praemissa antiphona ad Venerabile Sacramentum, canitur Confessoris hymnus eiusque oratio et illico « Tantum ergo ». Pontifex non ipse ritus agit, sed tantummodo thus Sacramento adolet, ut dictum est. Sollemnem autem SS. Sacramenti Benedictionem impertit RR. DD. Chassagnon, Episcopus Augustodunensis, cui ita contigit primos tribuere honores novensili suae regionis Beato: nam Paray-le-Monial, ubi B. Claudius obiit, ad Augustodunensem dioecesim pertinet.

Benedictione peracta, repositoque SS. Sacramento, Beatissimo Patri ibidem consueta exhibentur dona, quae, praeter Patrem Generalem et P. Postulatorem, alii quidam Patres comitati sunt et obtulerunt, inter quos R. P. Ioannes Costa de Beauregard Praepositus Provinciae Lugdunensis, P. Gulielmus Kea Director generalis delegatus Apostolatus Orationis, P. Iulius de Surdun (Prov. Lugd.) qui cum familia de la Colombière cognationis vinculo nectitur, P. Ambrosius Marius Fiocchi (Prov. Ven.) auctor libri de vita P. Claudii pro hac sollemni occasione editi.

Dona autem haec erant: nonnulla Beati vitae exemplaria pelle pannoque serico pretiose compacta; nomismata quaedam ipsius Beati aurea et argentea, florum ingens artificiosusque fasciculus, pretiosissimum denique reliquiarium argenteum. Hoc partem costae Beati Claudii includebat tam miro artificio, ut opus parvis dimensionibus « Confessionem S. Petri » Basilicae Vaticanae affabre et scite fere referret: totius rei pretium ad 10.000 libellar. italic. a peritis factum est.

Beatissimus Pater paulisper cum Patre Generali aliisque Patribus moratus est, ob novum apud Deum intercessorem Societati gratulationes suas ex animo renovans; ac denique sellam gestatoriam conscendens inter adstantium plausus argentearumque tubarum sonos, in aedes Vaticanas reversus est.

Primi honores.

Tribus sequentibus diebus sollemnia ad SS. Nominis Iesu templum, splendidissime ornatum celebrata fuerunt. Feria 2ª, 17 iunii, fuit dies praesertim peregrinis e Gallia reservata: hora 8 Missa cum Communione generali celebrata est a RR. DD. Ioanne Baptista Gonon, Episcopo Molinensi (*Moulins*). Hora 10,30 Sacra Pontificalia peregit RR. DD. Alexander Caillot, Episcopus Gra-

tianopolitanus (1), cui assistebant alumni Pontificii Seminarii Gallici. Hora 18,30 laudes novensilis Beati dixit P. Carolus Parra (Prov. Tolos.), Secretarius Nationalis Apostolatus Orationis in Gallia; benedictionem sollemnem Eucharisticam impertiit E.mus Card. Alexius Henricus Lépicier O. S. M., Praefectus Sacrae Congregationis de Religiosis.

Duobus sequentibus diebus S. Missae Sacrificium obtulerunt: RR. DD. Michael d'Herbigny, R. P. Benedictus Guerrinus Fraccalvieri, Praepositus Generalis Congregationis S. Pauli (Barnabitarum), E.mus Card. Franciscus Ehrle, RR. DD. Iosephus Palica, Vicesgerens Romae. Laudes Beati dixerunt Rev.mus D. Carolus Salotti, Promotor Generalis Fidei, et P. Galilaeus Venturini (Prov. Rom.).

Benedictionem sollemnem Eucharisticum dederunt E.mus Card. Alexander Verde, Causae Ponens, et E.mus Card. Camillus Laurenti, Praefectus S. C. Rituum.

Sequenti die dominico, 23 iunii, Romani sodales Apostolatus Orationis ibidem festum novi Beati iterum celebrarunt: sermonem habuit RR. DD. Alfonsus M. De Sanctis, Episcopus Signinus, et Eucharisticam Benedictionem sollemniter impertivit Em. Card. Donatus Sbarretti, Suburbicanius Sabinensis et Mandelensis Episcopus ac Sacrae Congregationi Concilii Praefectus.

Festa extra Romam celebrata aut celebranda narrando persequi non vacat. Prima tamen commemorare liceat quae in Gallia habita sunt: diebus 13-15 septembris triduana sollemnia peragebantur in Beati Claudii natali pago *St. Symphorien d'Ozon*, adstantibus Emo. Card. Ludovico Iosepho Maurin, Lugdunensi Archiepiscopo, et RR. DD. Alexandro Caillot, Episcopo Gratianopolitano: triduanas orationes habuit P. Amabilis de Chabannes (Prov. Lugdun.).

Mnemosynon huius beatificationis insigne apud nos Romae exstabit statua in honorem SS. Cordis Iesu in novae Curiae viridario erecta, de qua supra diximus (2).

Sed etiam in sacra liturgia Ecclesiae universalis, utut indirecte, quaedam Beati Claudii memoria deinceps agetur, sicut in Litteris quoque Encyclicis « Miserentissimus Redemptor » hono-

(1) Intra dioecesis Gratianopolitanae (*Grenoble*) fines nunc situm est oppidum *Saint-Symphorien de Ozon*, in quo B. Claudius die 2 febr. 1641 ortum habuit; tunc tamen ad dioecesim Viennensem pertinebat.

(2) V. supra, pagg. 317-318.

rifica de eo mentio facta erat (1). Nam, praeterquam quod in novo SS. Cordis officio haud abscure ei innuitur (2), in novis lectionibus historicis pro festo S. Margaritae Mariae Alacoque tamquam « congruo festi SS. Cordis additamento » (ut dicit Decretum S. C. Rit.) ad Ecclesiam universam nuper extenso, apertis verbis de nostro Beato haec habentur: « ... Cunctanti [Sanctae Margaritae « Mariae] ex humilitate seque tantae rei imparem profitenti amantissimus Salvator addit animum, simulque eximia sanctitate virum, Claudium de la Colombière, ducem et adiutorem designat... » (3).

Gratulationes.

Per illos dies, complures epistolas gratulatorias et telegrammata accepit Pater Noster, inter quae: epistolas RR. DD. Fortunati M. Farina, Episcopi Troiani et Fodiensis (*Troia* et *Foggia*), et RR. DD. Iosephi Angelucci, Civitatis Plebis (*Città della Pieve*) Episcopi; telegrammata ex R.mo Rectore Maiore Salesianorum Beati Ioannis Bosco, P. Philippo Rinaldi; ex Collegio Parochorum Urbis, quorum Delegati etiam Patrem Nostrum gratulabundi visitarunt; ex Superiore Generali Fratrum a Scholis Christianis, aliisque sat multis. Ex his omnibus documentis, grati animi causa et ad posterorum memoriam, pauca quaedam selecta infra exscribimus (4).

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XX (1928), pag. 168. — En verba: «... Eiusmodi « autem devotionis officium [consecratio SS. Cordi Iesu], cum... Salvator Noster « innocentissimam Cordis sui discipulam Margaritam Mariam docuisset, ipsamet, « *cum suo pietatis magistro Claudio de la Colombière*, prima omnium prae- « stitit... ».

(2) «... Quot autem quantasque Dei Famula [Sancta Margarita Maria] in Christi « mandatis exsequendis experta sit difficultates, nemo est qui ignoret; sed ab ipso « Domino confirmata, *atque a Religiosis animae suae moderatoribus, qui in-* « *credibili quodam ardore ad hunc cultum promovendum laborarunt, strenue* « *adiuta*, munere sibi caelitus commisso fideliter fungi ad mortem usque non de- « stitit ». (Lect. V, circa finem). — Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929) pag. 49.

(3) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 602. — Sacrae Rituum Congregationis decretum (*ibid.*, pag. 606) inter rationes quibus dicitur Summus Pontifex motus esse ad hoc festum extendendum recensentur « supplicia vota plurium E.morum S. R. E. « Cardinalium, fere innumerabilium Sacrorum Antistitum, necnon « Superiorum Ordinum et Congregationum religiosarum » : de quibus colligendis bene meriti sunt Nostri, desideriis Patris Nostri libenter obsecundantes: Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 90.

(4) V. infra, pp. 349-350.

Secretario Nationali pro Italia P. Paschali Aloisi-Masella (Prov. Rom.) rem proponente, item per illos dies a plurimis Italiae centris sive diocesanis sive parochalibus Apostolatus Orationis chartulae epistolares mittebantur Patri Nostro de beatificatione optatissima Societati gratulantes: mille et sexcentas eoque amplius huiusmodi chartulas accepimus (1).

Faxit Deus, ut brevi hunc « fidelem SS. Cordis Servum perfectumque amicum » supremis Sanctorum honoribus decoratum venerari possimus!

(1) Hae chartulae ita erant confectae:

Diocesi ....

Centro dell'A. d. P. ....

Indirizzo ....

R. Padre,

Nel momento in cui il servo fedele e perfetto amico *del S. Cuore,* **P. Claudio de la Colombière,** *viene elevato all' onore degli Altari col titolo di Beato, ci associamo al giubilo della Chiesa, Madre dei Santi, e della Compagnia di Gesù, che lo ebbe figlio carissimo e ne plasmò lo spirito, ed inviamo alla P. V. Rev.ma, Preposito Generale della Compagnia di Gesù e Direttore Generale dell'* Apostolato della Preghiera, *l' espressione della nostra esultanza e della nostra devozione.*

Il Direttore

(Firma) ....

M. R.

P. Wlodimiro Ledóchowski

Preposito Generale d. C. d. G.
Direttore Generale dell'A. d. P.

Borgo S. Spirito 5

ROMA (113)

Epistolae aut telegrammata quaedam gratulatoria occasione beatificationis Patris de la Colombière Patri Nostro missa
(perpauca ex multis).

IL VESCOVO
DI
TROIA E FOGGIA

14 *Giugno* 1929.

Rev.mo Padre,

Tutti gli ascritti all'Apostolato della preghiera hanno fatto pervenire a V. P. cartoline di felicitazioni e di congratulazione per la beatificazione del Ven.le P. Claudio de la Colombière. Io, che fin dalla mia prima adolescenza fui ascritto al pio Sodalizio dai PP. della Compagnia in Napoli, dai quali fui educato, sento il dovere non solo di assistere alla solenne funzione della beatificazione domenica prossima, ma di esprimere anche a V. P. i sensi del mio più vivo compiacimento per la fausta circostanza, indice delle particolari predilezioni del Sacro Cuore per la Compagnia.

Coi sensi della profonda stima voglia gradire i miei devoti ossequi mentre godo dichiararmi di Lei

dev.mo
† Fortunato M. Farina
Vescovo di Troia e Foggia.

Città della Pieve 15 - 6 - '29.

Rev.mo Padre Preposito G.le,

Nella Gloria onde rifulge sugli Altari il novello Beato della generosa Compagnia e che si riverbera con raggi di grandezza e di conforto sulla Compagnia e sulla Chiesa, porgo alla P. V. R.ma le mie vive felicitazioni, unendomi a ringraziare Iddio e a supplicare l'Apostolo del S. Cuore, perchè in tutti trionfi la divina Carità.

Con ogni ossequio mi professo

Della P. V. R.ma
dev.mo
† G. Vescovo di C. Pieve.

Parroci romani Direttori Apostolato Preghiera rallegrandosi fervidamente Paternità Vostra Reverendissima glorificazione Beato Claudio splendore Compagnia si ripromettono esultando novelli trionfi Sacratissimo Cuore — Gremigni *Camerlengo.*

Famiglia Salesiana gode immensamente beatificazione Apostolo Sacro Cuore La Colombière felicita Compagnia.

Rinaldi.

Supérieur Général Compagnie de Jésus - Rome.

Institut Frères Ecoles Chrétiennes prend part à votre grande joie occasion Béatification Père de la Colombière. Avec vous demande Sacré-Coeur par nouveau *Bienheureux* accroissement sainteté et fécondité apostolique dans Compagnie.

Frère ADRIEN.

Centro Diocesano Torinese Apostolato Preghiera presso Madri del Cenacolo coi 137 Centri dipendenti esprime Vostra Paternità viva esultanza per beatificazione primo propagatore divozione Sacro Cuore Venerabile La Colombière membro codesta illustre Compagnia meravigliosa Officina di Apostoli pel mondo di Santi pel Paradiso. — *Canonico* PITTARELLI - *Marchesa* PALLAVICINO *Presidente.*

VIVE † JÉSUS!

Mon Très Révérende Père,

C'est pour nous un grand honneur de recevoir de Votre Paternité, la belle et si intéressante brochure « Il novello Beato Claudio de la Colombière ».

Elle restera dans nos Archives comme un vivant souvenir de Celui qui fut envoyé de Dieu à Ste Marguerite-Marie pour être le confident des révélations du Sacré-Coeur et reconnaître l'authenticité de la mission de Notre glorieuse Soeur.

A ce titre, des liens sacrés uniront toujours la Visitation de Paray au Nouveau Bienheureux. Aussi, ose-t-elle dire que les actions de grâces de la Compagnie de Jésus, le 16 Juin 1929, ne furent nulle part ailleurs mieux comprises et mieux partagées qu'en ce Sanctuaire des Apparitions, à l'ombre duquel reposent les restes mortels des deux premiers Apôtres du Coeur de Jésus.

Plaise à Dieu, que de nombreux miracles, par l'intercession du Bienheureux, hâtent le jour tant désiré de sa Canonisation. En attendant cette grâce imploré par leurs prières, les Soeurs de S.te Marguerite-Marie Vous prient d'agréer, mon Très Révérend Père, l'hommage de leur profonde reconnaissance et de leur religieuse vénération, tandis que je demeure

De Votre Révérence

La très humble et indigne servante et fille
en Notre-Seigneur
S.r MARIE ALEXANDRINE ARDANT
Supérieure de la Visitation S.te Marie.

De Notre Monastère de Paray,
3 Juillet 1929.

III.

FESTORUM SANCTI ALOISII

ULTIMA IN URBE CORONA

(9 IULII 1928).

Post ea bene multa, quae de festis bis centenariis a canonizatione S. Aloisii superioribus fasciculis retulimus (1), nostro nos officio deesse videremur nisi de iis quoque aliquid referamus, quae Romae, die 9 iulii 1928, maxima cum sollemnitate ac summa celebritate ad heroicum Aloisii sacrificium, quo vitam posuit in salutem proximorum, in memoriam revocandum habita sunt, quaeque dignam echo et coronam festorum praecedentis anni iure dixeris.

Festum hoc in nosocomio B. M. V. a Consolatione nuncupato (ultima palaestra Aloisianae caritatis) ad imum Capitolium locum habuit, ubi marmoreum Aloisii mnemosynon externo nosocomii parieti appositum illo die detegendum erat.

Praecessit actio sacra, quam fecit RR. DD. Iosephus Santini, Episcopus tit. Zamensis, Ord. Cap., Nosocomiorum Romanorum « Cappellanus » Maior. Sacro ministrabant Capuccini, accinebant alumni Collegii Pii Latini Americani.

Caeremoniam sua praesentia decorabant ipse Romanae civilis provinciae Praefectus, Gubernatoris Urbis Legatus, omnium Romanorum nosocomiorum Administrationis Praeses, militaris tribunus Gonzaga, principis ac ducis generalis Mauritii Gonzaga filius. Praeterea viri primae nobilitatis multi et ex omni nobilium ordine; medicorum vero et professorum numerus plurimus: officiales (ut dicunt) et nosocomiorum legati omnis conditionis, ne dicamus de Institutis et Ordinibus Religiosis.

At pars potior, ut par est in omni celebratione Aloisiana, ad iuventutem spectabat, cuius selecti legati cum vexillis presbyterium tenebant. Aderant ex Universitate Romana, ex Lycaeo Visconti, ex Foederatione Universitaria Catholica Italica, ex Scholis primariis; ceteri iuvenes reliquum templum occupabant.

Quos omnes ad Evangelium Episcopus celebrans brevi, forti et apologetica oratione allocutus est, ostendens quo Patrono se dignos familia, patria, Ecclesia efficerent.

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 528-530, 537-549, 559-562. — V. etiam hic supra, pp. 5-9, 19-23, 62-63, 134-169.

Ritu sacro peracto, praetereuntes nosocomii aulam, ubi S. Aloisii monumentum a claro Le Gros sculptum conspicitur, aliam ingredimur, in qua leguntur « adhaesiones » Excell. Ministri a publica Instructione (qui se « toto corde » participare dicit), Excell. Turati et epistolam quam cum filio misit dux generalis Mauritius Gonzaga. Mox Dr. Alexander Canezza doctissimam relationem legit « De pestilentia a. 1591 et quid in ea Sancti, in primis S. Aloisius, praestiterint ». Secutus est sermo « officialis » (ut dicunt) Honor. Deputati Egilberti Martire, quo monumentum Nosocomiorum Administrationi oblatum est. In eo magnifico sermone Sanctum, publice, in tam augusto consessu, vindicatus est etiam ab iniuriis et calumniis quibus ab impiis per saeculum impetitus erat.

Respondit omnium nosocomiorum Administrationis Praeses Dr. Cotta amplissimis verbis donum acceptans non tantum ut signum memoriae, sed potius « spiritus » istius Sancti Iuvenis Infirmarii et symbolum caritatis Christi, « sine qua — ait — et medici et infirmarii ministerum digne nullo modo potest expleri ». Multa addidit de religione, de Ecclesiae beneficentia (Roma in medio aevo nosocomiorum primatum habebat), de Cruce, et de catholico caritatis conceptu.

Post haec omnes, auctoritates et iuventus et populus, in plateam egrediuntur ante nosocomii ingressum coram pariete qui simul Capitolium et Arcum Septimii Severi et Forum Romanum respicit. In ea infixa est tabula marmorea (marmore Carrario, longa m. 2.10, alta cm. 90) velo operta. Signo dato, velum descendit et inter musicos concentus et omnium plausus et iuveniles laetitias, characteribus romanis affabre incisa, apparet haec inscriptio:

S. Luigi Gonzaga — Dopo la rinuncia al Principato — Fattosi religioso nella Compagnia di Gesù — Era studente tra i primi del Collegio Romano — Quando in fervido slancio di sacrificio e di amore — L'anno 1591 *consacrò la sua giovine vita — Al conforto dei poveri appestati — Frequentando questo Ospedale — Dove portato sulle spalle un misero infetto — Contrasse quel morbo — Onde il* 21 *giugno a soli* 23 *anni — Salì alle ricompense celesti — Angelo di purezza, martire di carità.*

« Romana Gens » questa memoria pose, ad occasione delle feste del III centenario della canonizzazione solennemente celebrate dalla Chiesa e dallo Stato, a gloria di Dio, ad onore d'Italia.

IV.

DE TER CENTENARIA COMMEMORATIONE NOSTRORUM MARTYRUM URUQUARIAE (1628-1928).

In America Australi magna commotio — et maior ea semper speratur futura — facta est de causa beatificationis impensius promovenda Martyrum Uruquariensium, scilicet PP. Rochi González de Santa Cruz, Alfonsi Rodríguez et Ioannis del Castillo.

Occasio fuit memoria ter centenaria ab eorum martyrio, quod acciderat diebus 15 et 17 novembris 1628. Illico a gloriosa eorum morte et in America et in Europa eos admiratio et devotio prosecuta est, eorumque reliquiae exquisitae: inter quas primum tenet locum ipsum P. Rochi González venerandum cor a P. Ioanne Bapt. Ferrufino, Paraquariae Provinciae Procuratore electo, anno 1634 Romam delatum et R. P. Mutio Vitelleschi concreditum. Iamque a tribus saeculis pretiosus thesaurus Romae in Curiae nostrae Lipsanothecis manebat, cum mense septembri 1928, P. Thomas I. Travi (Prov. Argent.-Chil.), causae Vicepostulator renuntiatus, a Patre Nostro illud impetravit secumque Roma Bonas Auras detulit et in Collegio nostro « Salvatoris » deposuit (1).

Suo in Americam adventu venerandum cor omnium corda movisse videtur. Mox animos ad festa proxime paravit, per epistolam ad hoc circummissam, RR. DD. Archiepiscopus Bonaerensis, Fr. Franciscus M. Bottaro y Hers O. F. M., qui duos quoque hominum Coetus seu Commissiones centenariis festis parandis deputaverat.

Hae Commissiones summa ope sunt nisae in munere sibi commisso fungendo, ut declaravit secundus et insperatus exitus. In causam nostram adducta fuerunt periodica urbis principis Argentiniae, quorum aliqua optimos sane articulos ediderunt; idem in Brasiliae Republica, in Paraquaria et Uruquaria aliqua periodica fecerunt. Neque siluerunt ephemerides nostrorum collegiorum, paroeciarum aliarumque catholicarum consociationum. Ope Commissionum fuerunt edita 17.000 millia exemplarium libelli cui titulus: « Los Tres Primeros Mártires de la Diócesis de Buenos

(1) V. supra, pag. 223.

Aires »; 10.000 libelli: « La vuelta de un Corazón » et 30.000 novendialium precum in honorem SS. Trinitatis. In statu « de Rio Grande do Sul » in Brasilia, nova fuit divulgata editio vitae Patris Rochi González. Nomina et virtutes trium Martyrum, hoc pacto, fuerunt manifesta in domibus religiosis, in collegiis catholicis, in paraeciis quattuor Rerumpublicarum: Paraquariae, Uraquariae, Brasiliae, Argentiniae, quarum ter centenaria haec commemoratio potissimum interest: nam martyrii locus, Caaró nuncupatus, tunc temporis ad dioecesim Bonaerensem (Argentina) pertinebat, serius autem in Uruquariae ditionem transivit, atque in praesentiarum, intra Brasiliae fines invenitur (Status « Rio Grande do Sul »); Paraquaria vero P. Rocho González natale solum fuit, cum in urbe Assumptione natus sit et educatus: at qui communis istorum Martyrum apostolatus campus fuit, is Uruquaria erat, unde et Uruquariensium Martyrum nomen mutuati sunt.

Una cum litteris pastoralibus Exmi. Archiepiscopi Bonaerensis, Commissio festis centenariis parandis praeposita, ad omnes Episcopos dioecesanos supplices litteras dedit, quibus eos precabatur ut vellent fideles certiores facere qua de re ageretur in commeroratione huius tertii anni saecularis ex quo tres Iesuitae mortem pro Christo subierunt. Responsum omnes Episcopi studiose comiterque dederunt, pollicentes se in causa proposita pro virili parte esse laboraturos. Nonnulli Episcoporum, hi praesertim quibus peculiaris aliqua erat ratio, ad fideles pastorales litteras dare voluerunt: RR. DD. Synphorianus Bogarin, Episcopus Assumptionis in Paraquaria Republica; RR. DD. Gregorius Camacho, Episcopus Saltensis in Uruquaria; RR. DD. Aloisius M. Nella, Episcopus Corrientensis in Argentina; RR. DD. Augustinus Boneo, Episcoporum in Republica Argentina Decanus, Sanctae Fidei dioeceseos Episcopus.

Ars etiam oratoria magno adiumento fuit. Bonis Auris tantum, quinquaginta « conferentiae » habitae sunt: aliae alibi: nec a Nostris tantum, verum etiam ab externis — aliquando etiam laicis —; nonnullae sermocinationes ope « radii » alio transmissae.

Cognitioni Martyrum vulgandae et festorum amplitudini procurandae plurimum sunt suffragati e Nostris Provinciae Argentino- Chilensi: P. Iosephus M. Blanco multiplici modo impense laborando, P. Carolus Leonhardt historica documenta ad causam Martyrum spectantia studiose industrieque inquirendo, et P. Ferdinandus Pérez Acosta, qui eo studiosius causam Martyrum su-

scepit quo arctius cum Patre Rocho coniungitur, siquidem eadem utrique est patria. Sed sine dubio id quod maxime contulit ad ipsa festa centenaria paranda et ad cognitionem Martyrum diffundendam, ipsum fuit cor mirandum Patris Rochi González, quod crudelissimae transverberationis signum visibile adhuc praesefert.

Tam sollerti festorum praeparationi exitus plane respondit. Et ut ab Argentinia initium faciamus, in Seminario Metropolitano Pontificio exercitium litterario-musicale habitum est die 15; ipse Exmus. Archiepiscopus Bonaerensis, RR. DD. Fortunato Devoto Episcopo auxiliari comitante, praesse voluit. Die vero 17 in Collegio Salvatoris aliud exercitium litterario-musicale praebitum est, quod quidem et propter praesentiam virorum praeclarorum (adfuerunt enim nobiliores Bonaerenses familiae) et propter amplitudinem ipsius actus, multo sane exstitit magnificentius. Ei praefuit Exmus. Nuntius Apostolicus RR. DD. Philippus Cortesi; adfuerunt Exmus. Archiepiscopus Bonaerensis, et octo RR. DD. Episcopi. Ex magistratibus adfuerunt Dnus. Ramirus de Maeztu Hispaniae Legatus, Dr. Michael A. Checa Eguiguren, Peruviae in Argentinia Minister, Dr. Iosephus L. Cantilo urbis Buenos Aires Praefectus aliique clarissimi viri tum ecclesiastici tum laici.

Concinnae musicae et poesibus miscentur studium criticohistoricum circa martyrium Padris Rochi González, a Doctore Romulo Carbia, Universitatis Professore lectum et conferentia Dni. Ramiri Maeztu, qui disertissime summisque laudibus extulit opus Missionum Iesuitarum in antiqua Provincia Paraquaria.

Nec minor in Brasilia fervor. A Rmo. Dn. Stanislao Wolsky, intimo Sanctitatis Suae Cubiculario (in dioec. Uruguayanensi in Brasilia), apud fodinas celebratum est Sacrum ad aram antiquam diruti templi pristinae Missionis cum ingenti pompa, et monumentum ex petra in memoriam erectum.

Congregationes Marianae, Collegia, Religiosi, Magistri, etiam non de Societate, multo studio in causam beatificationis feruntur, atque artis typographicae, poeticae, musicae ope in hunc finem utuntur: promittunt etiam vias, instituta, sacella a «Rocho González» cum primum leges canonicae permittent nuncupatum iri, quin et iam nova colonia Germanica a venerando nomine appellatur. Etiam Institutum Historicum Rio-Grandense (Rio Grande do Sud) pro sua parte multimodam operam praestat.

Etiam Assumptione in Paraquaria magna celebratio. Ibi, die 14 novembris, in nationis amphitheatro concio habita, adstante

ipso summo Republicae Praeside; die vero 18, actio religiosa in templo principe, ad propitiandum causae Deum.

In eundem finem etiam in Uruquaria Montisvidei Archiepiscopus, RR. DD. Ioannes Franciscus Aragone, datis litteris die 18 ianuarii 1929, suos fideles urgebat, ad S. Francisci Xaverii novendiale « a gratia » dictum mense martio peragendum, aliaque praeclara obsequia non liturgica, quantum Servis Dei nondum beatificatis tribuere licet, in honorem horum Martyrum praescribebat. In hac epistola (quae est illius Reverendissimi Praesulis in nos benevolentia!), dum huiusmodi festa aliqua ratione « nationalia » pro tota Uruquaria habenda esse declarat, hoc prae primis adducit motivum ad ea pie sollemniterque peragenda, quod tota Archidioecesis atque etiam tota Respublica Uruquariae arcte cum nostra Societate devinciantur, eique maximas debeant grates.

Iure ergo, post haec, R. P. Raymundus Lloberola, Praepositus Provinciae Argentino-Chilensis ad omnes Superiores suae Provinciae, quae antiquae Paraquariae successit, potuit epistolam circummittere (6 ian. 1929) gratulatoriam de peractis centenariis festivitatibus, «quae (ait) omnem conceptam expectationem superarunt », et hortativam « ne tantus fervor succensus tepescat ». Hunc fervorem excitabit et fovebit pulchra horum Martyrum historia plenius et scientifice nuper conscripta a P. Iosepho M. Blanco (Prov. Argent.-Chil.).

Nec sine divina Providentia factum est, ut non ita pridem Bonis Auris invenirentur primi horum Martyrum processus dioecesani saec. XVII iam confecti. Petitio etiam communis ab Episcopis Brasiliae, Bahiae congregatis, ad Summum Pontificem Pium XI, ut dignaretur hos Christi Regis heroas Beatos appellare, anno 1926 porrecta erat. Sed post festa de quibus locuti sumus ingens omnium pectora tenet desiderium hanc beatificationis causam impensius urgendi; iamque antiqui processus novis testimoniis iuridice excussis, P. Thoma I. Travi Vicepostulatore sedulo curante, etiam atque etiam complentur et mox Romam mittentur Sacrae Rituum Congregationi deferendi.

Faxit Deus, ut tribus his antiquae nostrae Paraquariae Provinciae Martyribus cito Beatorum indicantur honores! Quod certe in omnium Nostrum votis est, eo quoque consilio, ut fortes hi Christi milites, una cum Ven. P. Iosepho Anchieta, catholicae Americae Australis patroni, ac contra Protestantismum, qui illis fidelibus callide insidiatur, vindices et potentes tutores evadant.

V.

DE ITINERE PATRIS NOSTRI IN HISPANIAM
(17 DEC. 1928 — 31 IAN. 1929).

Ob gravia quaedam negotia, exeunte anno 1928, debuit Pater Noster Hispaniam petere ibique mensem eoque amplius manere. Quamquam multa de hoc itinere dicenda non habentur, haec tamen haud ordinaria res in hisce Societatis annalibus locum omnino invenire debet.

Itaque, die 16 decembris, post consultationem extra ordinem cum PP. Assistentibus habita, vespere, reliquis fere omnibus inopinantibus, nuntiatum est in triclinio Patrem Nostrum in crastinum esse profecturm, relicto Vicario Generali R. P. Francisco de Paula Nalbone, Italiae Assistente (1).

Die 17 *decembris*, hora circiter 10 ante meridiem, convenientibus omnibus in aulam communem, Patrem Nostrum abeuntem salutavimus, qui nostris precibus se enixe commendavit et paternam benedictionem impertivit. Itineris comitem habebat P. Camillum Crivelli (Prov. Mexic.), alterum Secretarii pro Assistentia Hispaniae Substitutum, cum eoque Lutetiam Parisiorum primum se contulit, indeque in Hispaniam. Frater vero Aemilius Herrero, Patris Nostri Socius, recta in Hispaniam cum impedimentis praecessit.

Lutetiae Parisiorum, quo postero die (18 *dec.*) hora 3 post meridiem pervenit, eum manebat R. P. Felix Mollat, Provinciae Franciae Praepositus, cum Socio, P. Petro de Champs de Saint-Léger. Die 19 *decembris* Pater Noster praecipua Societatis domicilia et opera invisit, et omnes fere Patres cum Parisiis tum in suburbiis et Versaliis degentes stata hora coadunatos allocutus est: imo complures, sin minus omnes, bis eum videre et audire potuerunt, magna cum ipsorum consolatione. Feria quinta (20 *dec.*) Missam celebravit in Monte Martyrum (*Montmartre*), tot Societatis eiusque Fundatoris memoriis nobis carissimo. Eo ipso die ante meridie Pater Noster cum P. Crivelli Galliae metropolim re-

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 102.

liquit et Tolosam vespere pervenit, ubi filiali cum sollicitudine a R. P. Edmundo Rouffiac Viceprovinciali (Provincialis enim in insula Madagascar, suam illam Missionem Tananarivensem visitans, versabatur) exceptus est.

Sed parum Tolosae constitit: nam, Domo Apostolatus Orationis visitata, inde in Hispaniam recta profectus est die 21 *decembris* mane , eo ipso die vespere Barcinonem perventurus.

Adventus Patris Nostri in Hispaniam tam inopinatus contigit, ut primum eius nuntium Barcinonem attulerit Frater Socius, qui paulo ante P. Generalem illuc pervenerat: nam, cum ob consuetam visitationem R. P. Provincialis abesset, telegramma Roma ei missum Valentiam eum secutum erat nec Barcinone quidpiam sciebatur. Magna proinde animorum commotio, sed brevi omnia ad dilectissimum Patrem excipiendum parata sunt. Praepositus autem Aragoniae Provinciae, R. P. Ioachimus Vilallonga, statim Valentia Gerundam usque obviam Patri Nostro iam iam adventanti occurrere festinavit, eumque Barcinonem est comitatus, ubi se suosque universos promptissimos obtulit ad omnia quae ipse iussisset optassetque.

Commorationis locus a Patre Nostro selectus Sarrianense fuit Collegium Maximum S. Ignatii, quod nunc intra Barcinonensis urbis fines includitur. Die 23 *decembris* Scholastici illius Collegii (qui ad 150 circiter numerantur) academia poetico-musicali Patrem Generalem honorarunt, in qua inter alias polonica quoque poesis est recitata. Ceterum, non est sane cur diu immoremur in describenda quanta laetitia et veneratione communem Patrem illi Nostri prosecuti sint toto eius commorationis tempore: facile enim coniici potest. Pater Noster vicissim eos benevolentissime admodum tractabat, nec semel optimos illos Societatis filios, secundum eorum classes, est allocutus (Patres, Scholasticos, Coadiutores) multa eis de Societate eiusque operibus enarrans, quae diligenter collecta et cyclostilo multiplicata cum longinquis Provinciae sodalibus communicabantur.

Post civitatis proceres tam ecclesiasticos quam civiles comiter visitatos, negotiis expediendis incubuit Pater Noster. Die 2 *ianuarii* 1929 Gerundam (*Gerona*) petiit, vespere Barcinonem reversurus; indeque postridie (3 *ian.*) Manresam profectus est, ubi tres dies mansit, cum illis Nostris, praesertim Patribus tertiae probationis eorumque Instructore (1), collocutus.

(1) P. Antonio M. Arregui (Prov. Castell.).

Die 6 *ianuarii*, in festo Epiphaniae Domini, Reverendissimus Abbas Montis Serrati O. S. B. Manresam venit et automobili curru ad celeberrimum illud Monasterium, Societati quoque ob S. P. Ignatii memoriam carissimum, Patrem Nostrum adduxit, ubi is perhonorifice ab omnibus illis dignissimi S. Benedicti filiis exceptus est. Sed, ob itinera et frigus iam paulisper defatigatus, accedente levi vestigii lapsu, qui alterum crus aliquantulum offendit, Pater Noster e Monte Serrato non Manresam indeque Illerdam (*Lérida*), ut cogitarat, sed recta Bercinonem rediit. At, Deo favente, post aliquot dies, quibus decumbere debuit quin negotiorum tractationem relinqueret, sat bene convalescere coepit, etsi baculo deinceps ei utendum esset per aliquot menses.

Verum haec infirmitas, alias domos Patris Nostri visitatione defraudavit: Fontillense leprosarium nominatim visitare voluisset. Ex aliis Provinciis Barcinonem eum adituri venerunt: exeunte decembri 1928, R. P. Severianus Azcona, Castellanae Praepositus, qui suae Provinciae domos in Republica Venezolana sitas mox visitaturus erat; medio mense ianuario 1929 P. Alfonsus Torres, Praepositus Domus Professae Matritensis (Prov. Tolet.). Die autem 25 *ianuarii* 1929 convenerunt apud Patrem Nostrum Praepositi Provinciarum Hispaniae et Lusitaniae (excepto Praeposito Castellanae in Americam, ut dictum est, mox profecturo) et P. Henrico Carvajal (Prov. Legion.), Salmanticensis Domus probationis Rector, qui ante aliquot annos Societatis Secretarius fuerat.

Cum per illos dies graviter aegrotaret P. Balthasar de Ferrer, Pater Noster una cum aliis SS. Viaticum ad eius cubiculum comitatus est; et deinde ipso sui profectus die (29 *ian.*), sicut et alios infirmos, optimum quoque senem visitavit eique benedixit; ille vero, Patri Nostro suum Romam reditum nuntianti, subridens ait se in caelum prius iturum quam Paternitas Sua in Urbem reversus esset. Quod et revera accidit: nam ea ipsa nocte, dum Pater Noster ex Hispania per Galliam meridionalem Italiam versus iter agebat, bonus ille Pater pie et placidissime in Domino quievit.

Et sane, die 29 *ian.* Barcinone proficisci statuerat Pater Noster. Cum omnes sodalium classes rursus singillatim alloqui non posset, peculiarem hanc consolationem Scholasticis Provinciae Mexicanae reservavit, quos ad se vocatos et paternam benevolentiam erga carissimam tamque vexatam eorum Provinciam ostendens, singulos amplexatus est, dicens: « Cum nequeam omnes huius

domus Patres et Fratres singillatim amplexari, id saltem cum carissimis Fratribus Mexicanis faciam ».

Paulo post horam secundam a meridie convenerunt omnes in aulam communem ut abeuntem optatissimum Patrem salutarent. Eos paternis oculis circumspiciens Pater Noster, in haec fere verba allocutus est: « Id quod vobis dicere habebam, tradidi in epistola P. Provinciali, ut vobis communicet. Unum tamen ante quam discedo vobis exprimere volo: magnum fuit mihi gaudium et solatium quod tanta caritate me exceperitis, et quamvis ad negotium non nimis gratum veni, magnum ex vestro conspectu solatium hausi, eo quod viderim apud vos vigere genuinum spiritum Sti. Parentis, caritatem et studium perfectionis constanter fovendae. Pergite per hanc viam, PP. et FF. dilectissimi, Societas enim indiget hominibus zelo in Dei maxima gloria procuranda et studio perfectionis plenis. Deum rogo ut eiusmodi spiritum in vobis magis magisque augere velit. Et siquidem nos invicem magis cognoscimus, mei in vestris orationibus ne obliviscamini, ut quamvis ultimus miles in hac Iesu Societate sim, possim recte hanc cohortem perducere ad maiorem Dei gloriam!... Cuperem equidem omnes vos singulatim amplecti, sed infirmitas mea...; tamen amplectar bonum P. Rectorem (1) et in eo totam domum, et R. P. Provincialem et in eo totam Provinciam ». — Idem etiam praestitit cum R. P. Antonio Revuelto, qui aderat, pro tota sua Baetica Provincia, cuius est Praepositus. — Benedictionem omnibus impertitus est, deinde hospitalem illam domum, cum duobus suis Sociis, P. Crivelli et Fr. Herrero, reliquit.

Barcinone recta omnino Romam iter fecit; sed cum Genuae duas circiter horas ei consistendum esset, hac mora uti potuit ad invisendum Collegium et novas Residentiae aedes (Prov. Taurin.) ducibus Rectore Collegii et Superiore Residentiae (2), qui ad stationem viae ferreae venerant eum salutaturi.

Denique Romam die 31 *ianuarii* incolumem Patrem laetissimi excepimus.

(1) P. Raimundum Créxans.

(2) P. Antonio Argano et P. Angelo Buttini.

VI.

RES PROVINCIAE MEXICANAE

SAEVIENTE PERSECUTIONE

(1926-1929).

Nota. — Quamquam nunc res catholica in Mexico melius se habere coepit, haec quae antea nobis relata sunt et iampridem scripto fere omnia consignata erant, in nostris hisce commentariis edenda putavimus, utpote quae posterorum memoria digna profecto videantur.

Nostri in Mexico, ut alias innuimus (1), etsi tantis difficultatibus et periculis circumsepti, modum tamen ac viam inveniunt ut suum animarum studium expleant ad exemplum.

Regionem occupant vel ingrediuntur, carceris et capitis periculo posthabito: itaque in urbibus Chihuahua, Guadalajara, Puebla, León aliisque atque in ipsa urbe Mexico catholicis afflictis vel nutantibus adsunt. Neque miserrimae Missioni Tarahumarae desunt: nam varii Patres — quorum nomina novimus — ibidem morari vel illuc usque heroica virtute insinuare sese atque intromittere potuerunt, ubi quanto labore fructuque degant nemo est qui non intelligat.

Sed ut in ipsa Mexicana ditione consistamus: Congregationes dirigere, Exercitia occulte tradere, Missiones ruri in locis privatis habere, confitentes audire, consilio omnibus, praecipue autem « Foederi defensionis religiosae » adesse; omnia sunt ordinaria ministeria quibus fructus copiosus et populi amor respondet. Haec omnia, ut plurimum, noctu fiunt, loco minime suspecto, ut in aliqua magna officina, in aula commercii remota, in interioribus alicuius opificii partibus, in alicuius matronae palatio: aliquando etiam in campis, in coemeteriis, in cryptis etc. Qui legit historiam de primis Christianorum saeculis Romae, vel de Martyribus Anglis, ideam habet conditionis Nostrorum in Mexico.

Hac ratione, anno 1928 exeunte, in ipsa urbe Mexico vivebant 36 Patres et 13 Fratres Coadiutores.

Aliqua templa aperta remanent, suntque in custodia FF. Coa-

(1) V. supra, pp. 10-11, 121, 221, 243-247.

diutorum: opus «Catechismi S. Francisci Xaverii» ad 2000 puerorum pauperum dirigit P. Ferdinandus Ambía, a 400 catechistis adiutus: Congregationem Marianam, cuius membra in doctrinam christianam tradendam multum incumbunt, regit P. Iacobus Ramírez: alii alia institutionis religiosae centra moderantur: in his memoria digni iuvenes A. C. I. M. (1), qui saepe totos dies festos in excursionibus catechisticis transigunt.

De Collegiis etiam — quantum per calamitosa tempora licet — sollicitudo est. Quamvis Angelopolitano Collegio (*Puebla*) gubernium potitus esset, Nostri nihilominus clanculum Collegiolum pro primis elementis instituerunt, alias vero classes in domibus privatis conservantur, sicque cursum annuum — praemiis quoque distributis — absolverunt. Simili ratione «mirabile est (scribunt) quomodo hucusque perstitit Collegium Guadalaxarense»: aedificium ex locatione tenemus, et Nostri docendi causa, e suo quisque domicilio, eo se conferunt.

In Tarahumara FF. Coadiutores Collegium Sisoguichense sustinent, et ad pueros *albos* et *Tarahumaros* in pago Carichic (quorum nonnulli ex Convictu indigena «Sisoguichensi») scholas habent.

His multa alia opera, multi labores addendi sunt: «Nuntius SS. Cordis»: «Domus studentium» (nostris ex-alumnis destinata): Convictus indigena (pro opificibus Tarahumaris formandis). Etiam Domus Evercitiorum nova anno 1928 condita est. Praeterea «Matronas Catholicas» (quae pro Sacerdotibus et pro religione, ut olim matronae Romanae, mira faciunt) dirigere, nosocomia — etiam militaria — frequentare, ad morientes accurrere, scriptis quibusvis religionem prelo defendere aliorum Patrum est opus.

Quaedam ministeria P. Raphaelis Soto.

Pulcherrima narrat, suadente P. Provinciali, de suis ministeriis P. Raphael Soto litteris mense iulio huius anni 1929 datis. Is iam inde a die 27 augusti 1926, praeter nosocomium militare quod identidem adit, nosocomium *Juárez* in urbe México quotidie visitat, ubi mille eoque amplius degunt infirmi. Infirmariae catholicae aliaeque piae personae validum Patri praebent auxilium. Adest ille quasi medicus aut medicinae studiosus, qui in magno

(1) *Associationis Catholicae Iuventutis Mexicanae.*

nosocomio artis suae experientiam acquirere velit. Fideles adiutrices eum monent de gravioribus infirmis, quos adit mirisque industriis ad mortem more christiano obeundam, Deo favente, plerumque adducit. In magna capitis pericula saepe occurrit tot inter persecutorum insidias: sed semper incolumis evadere potuit. Quandoque milites ipsos ad se conprehendendum missos sua musicae artis peritia illusit; quandoque ipsi milites et custodes eum ut sacerdotem iam agnitum libere abire sinunt, cum nempe id sine proprio ipsorum periculo fieri potest: nam, ut plures ex iis fassi sunt, nonnisi ob pecuniam et ad familiam sustentandam odiosae sacerdotum insectationi operam dant.

Complures hoc modo peccatores cum Deo reconciliare potuit Pater, vera divinae misericordiae miracula suis ipse oculis cernens: pulcherrima quoque fidei, pietatis, omnigenarum virtutum exempla vidit.

Praeter necessaria Sacramenta, etiam Ecclesiae sacramentalia, quantum fieri potest, petentibus praebentur: magni enim haec fiunt non modo a piis fidelibus, sed ab ipsis Gubernii satellibus. Ut unum referamus, narrat idem pater Soto omnes milites anno superiore initio Quadragesimae sacros Cineres recepisse, seque hoc anno in uno nosocomio *Juárez* sacros item Cineres per tres horas inposuisse, petentibus cum aliis etiam nosocomii custodibus.

Nostrorum vitae genus.

Hinc patet quale sit nostrorum vitae genus. Videlicet non fideles ad nos veniunt, sed nos ad eos imus, veri medici spirituales ad curandos animae morbos. Et quot aegroti! quot distantiae! nam illi propter pericula congregari non possunt; hae superandae sunt, id quod laborem multiplicat. Inde fit ut totum diem Patres in proximorum auxilium cursitent, noctu tantum, vel ad cibum sumendum, in aliquam domum se recipiant. Verum frequenter et domum et vestes et nomina mutanda ne hospitibus periculum creent, vel suo ministerio noceant. Alicubi possunt convenire (v. g. feria quinta vel die Dominico) simul et aliquantulum corpus et animum una reficere ac fraterno alloquio se recreare.

In tantis angustiis solatium magnum est bonus spiritus adhuc vigens, non illi inferior qui, in similibus adiunctis, legitur in annalibus Societatis antiquis, pretiosum patrimonium quod a Maioribus nostris accepimus. «Omnes (scribit Collegii cuiusdam Rector) rebus spiritualibus exacte vacarunt et vacant: quam ma-

xime commendatam habent recollectionem menstruam, studium rerum spiritualium magni faciunt. Hoc revera mirum est, cum a d. 24 dec. 1926 vitam communem servare minime liceat; tamen tepiditatis vitio nullus laborat. Opportuno tempore Exercitia spiritualia omnes tam PP. quam FF. fecerunt ». Etiam Tirocinio Deus favet, nam mense decembri 1928, Novitii Scholastici 28 numerabantur, Coadiutores vero 9: tota Domus et Collegium Ysletense prope El Paso (Texas, U. S. A.) 100 socios fere numerabat.

Benevolentiae testimonia accepta.

Nec minus levamen affert testimonium grati animi et a populo et a clero et a Praelatis Societati delatum. Cum R. P. Provincialis (1) per menses octobrem et novembrem 1928 Provinciam more nostro perlustraret, eius rei significationes multas recepit, quod scilicet Societas Ecclesiam defenderet, nec laboribus parceret in salutem animarum eo vel magis quod in dies sacerdotes saeculares rariores evadant. Itaque multi, ex omni civium ordine, Superioribus — tum in ditione cum extra — gratulantur et gratias agunt: in his suam partem habent etiam pauperes quorum curam nostri minime negligunt. Quam frequenter audiuntur multi in has vel similes voces erumpere: « Pater! quid fecissemus, si *vos* non mansissetis nobiscum? ». Excell. DD. Franciscus Orozco y Jiménez, Archiepiscopus Guadalaxarensis, anno superiore (1928), vigesimoquinto a condita in ea urbe Societatis Residentia, ad eius Superiorem, P. Emmanuelem Santiago, epistolam scripsit in qua, dolens quod festa externa fieri nequiverint, in haec verba prosequitur: « R. V. utpote Fundatori et constanti luctatori in primis gratias ago: et per R.m V.m cunctis PP. ac FF. et inclytae Societati Iesu, quae in hoc Archiepiscopatu tempora sua gloriosiora aemulata est, quae hos iuvenes praeparavit, hos uberrimos fructus Missionibus et Exercitiis spiritualibus protulit, sermonibus et catechismis veritates christianas diffudit, uno verbo nobilissimae suae missioni cumulate satisfecit ». Revocat deinde S. Petrum Canisium, quem Operis Catechismi in tota sua Archidioecesi Patronum constituerat (2); et ad meliora speranda provocans, benedictionem impertit.

(1) R. P. Ludovicus Vega.
(2) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 574.

Sed praestat hic ipsam exscribere epistolam, eo magis quod tanti viri est a persecutoribus pro Christi nomine tam acriter impetiti et omnimodis insidiis circumsepti, ut vix non martyr dici possit.

Carta del Ilmo. Sr. Arzobispo de Guadalajara al

P. Manuel Santiago, S. J.

Guadalajara, Junio 5 de 1928.

« El haber sido el día 27 del pmo. pdo. Abril el XXV aniversario de la fundación de la Residencia de Guadalajara de los Padres de la Compañia de Jesús, hubiera pedido de mi parte y de parte de toda la sociedad culta una manifestación pública, solemne y entusiasta de nuestro agradecimiento, por los bienes incontables que en esos 25 anos han hecho los citados Padres a la ciudad y al Arzobispado todo; pero V. R. y todos les suyos que saben muy bien lo difícil y penoso que son las actuales condiciones para la Iglesia, porque llevan también la pesada cruz que Nuestro Señor se ha dignado imponernos, comprenden el motivo por el cual tuvo que pasar desapercibida ésta fecha verdaderamente gloriosa.

No obstante ésto, desde el rincón que la Divina Providencia me ha deparado como un refugio para escapar de la persecución, dirijo estas pobres lineas para dar a V. R., en primer lugar, como Fundador y constante luchador en este campo y en esta residencia, un voto de gracias: y por el digno conducto de V. R. a todos los RR. PP. y HH. que han trabajado en estos 5 lustros: y por el digno conducto también de V. R. a la inclita Compañia de Jesús, que en este Arzobispado se ha manifestado a la altura da sus tiempos mas gloriosos; porque con incesantes labores ha logrado arraigar entre un buen número de nuestros jóvenes convicciones y sentimientos profundamente cristianos, preparándolos para este momento solemne, en que les ha sido preciso sostener su fé, con el testimonio de cárcel, de destierro y hasta de sangre; ha logrado frutos abundantes por medio de las misiones y ejercicios espirituales; ha logrado difusión muy grande de las verdades cristianas por medio de conferencias y catecismos; en una palabra, ha cumplido ampliamente con su nobilísima misión.

Mayor motivo de satisfacción es para mí y para todos los Religiosos de la Residencia de la Compañía, de Guadalajara, el ver que el Patrono de esa Residencia, Beato al tiempo de su fundación, es hoy por dignación del Sumo Pontífice Pio XI, el gran Doctor de la Iglesia S. Pedro Canisio, y por especial amor y devoción que he tenido hacia él, Patrono de la Obra del Catecismo en todo este Arzobispado. !Con cuanto entusiasmo hubiera celebrado el Catecismo todo de la Arquidiócesis esta fecha de su Santo Patrono al festejar las Bodas de Plata de la Fundación!

Estoy seguro que Dios Ntro. Señor no dejará que la semilla sem-

brada con tantos anhelos vaya a perderse, y que, cuando pase la borrasca del momento, se dejará ver el árbol vigoroso de la Iglesia Mexicana, regado con sudores de sacerdotes jesuitas, y abonado con sangre de cristianos, soberbio, gigante, lleno de flores y dulces frutos.

Con la particular expresión de mi estimación, y dando a V. R. y a todos los suyos mi bendición, me repito afmo. en Cto. »

† Francisco Orozco y Jiménez
Arzobispo de Guadalajara.

Fraterna aliarum Provinciarum caritas.

Verum super haec non minus dulce lenimen porrigit fraterna ex aliis Provinciis caritas et participatio dolorum ac praesertim spirituale subsidium quod exhibetur.

Epistolis Patris Nostri, quibus preces pro Nostris in Mexico rogabantur (1), omnes Provinciae ultro obtemperarunt: varii Provinciales ad Provincialem Mexicanum scripserunt. Nominamus epistolas circulares Praepositorum Provinciae Argentino-Chilensis (cum devotissimo Novendiali ad Virginem « de Guadalupe » ex occasione impresso singulisque distributo), Provinciae Campaniae, Provinciae Poloniae Minoris (cum 122 subscriptionibus Staraviensis Domus Prob. et Coll. NN.). Scholastici philosophi et theologi Collegii Oniensis (Prov. Castell.) « Foedus precum pro Mexico » condiderunt, ac singulis feriis quintis dimidium horae in precibus ante imaginem Virginis « de Guadalupe » spontanei pro recreatione transigerunt. Scholastici Collegii Verolensis (Veruela, Prov. Arag.) munus insigne precationum, bonorum operum (2.000 Missarum) et obsequiorum varia millia miserunt: quos philosophi Collegii S. Michaelis (Prov. Calif.) et Scholastici Collegii Cotocollao (Miss. Aequator., Prov. Baet.) presse imitati sunt. Tirocinia quaedam et Iunioratus, v. g. Grand-Coteau (Prov. Neo-Aurelian.), Florennes (Prov. Camp.) scripto et operibus effusam caritatem ostenderunt: in quibusdam etiam scriptionibus sancta quaedam invidia manifestatur.

Tota communitas Valkenburgensis (Prov. Germ. Inf.) in tabula pulcre delineata multa spiritualium munerum millia descripsit: et philosophi Collegii Woodstockiensis (Prov. Maryland. - N. E.) « Balsamum Consolationis » (sic ipsi vocarunt) obsequiorum 45.000 dono miserunt.

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 527, 540; 1928, pp. 712-714.

In Collegio Oenipontano (Prov. Austr.) initium factum est causae parandae et, quantum per canonicas leges et Superiorum prudentiam licet, promovendae Mexicanorum Martyrum, quae res per Austriam et etiam per Hungariam ac Germaniam est propagata. Coloniae, in « Expositione preli » (1) P. Ioannes B. Kettenmeier (Prov. Germ. Inf.) causam Mexici egit. Nec parum auxilii, pro religione et Societate in Mexico laborante, libris et imaginibus spargendis, conventibus habendis, supplicationibus indicendis et deducendis, in Europa et in America, Nostri contulerunt. In magno hoc caritatis certamine et Missionarios videas: « Sciat R. V., (scribit quidam Superior) in istis Indiae longiquis regionibus, Provinciam vestram tantis tribulationibus subiectam, specialem partem in nostris orationibus habere ».

Propitiatoriae preces Romae habitae.

Romae, in Catholicae Ecclesiae capite, quantam de Mexicanis filiis tam dire vexatis sollicitudinem teneat Summus Pontifex nemo est qui ignoret. Paternam curam participarunt copiose cum cives tum hospites Romani, nec nostrum est multiplices propitiatorias caeremonias commemorare, quibus hic laborantes fratres adiuvare eisque divinam implorare opem curatum est.

Unam tamen breviter tangere liceat, utpote quae in nostro SS. Nominis Iesu templo peracta sit et forte aliis omnibus sollemnior exstiterit. Mense decembri 1928, dum octavum basilicae S. Nicolai in Carcere Tulliano nuncupatae centenarium agebatur, Coetus illis festis promovendis praepositus (2), festivae commemorationi octavarias preces pro Mexico addendas duxit, cum in ea basilica insigni veneratione colatur imago quaedam Beatissimae Mariae Virginis « de Guadalupe », a Nostris anno 1767 e Mexico profugientibus Romam delata, cui anno lubilaei (1925) aurea corona imposita est ab Emo. Card. Raphaele Merry del Val, Basilicae Vaticanae Archipresbytero.

Die igitur 9 decembris, imagine illa a basilica S. Nicolai in templum SS. Nominis Iesu privatim delata, in hoc templo octa-

(1) V. supra, pag. 216.

(2) Huius coetus, honoris causa, praeerant Emi. Cardinales Vannutelli, Granito Pignatelli, Pompilj et Mori, necnon Exmi Principes Ludovicus Potenziani Spada et Franciscus Boncompagni Ludovisi, qui illis ipsis diebus in Urbis Gubernatoris munere Principi Potenziani suffectus erat. Praeses autem effectivus erat Princeps Laelius Nicolaus Orsini.

variis precibus initium factum est, quotidie ad confertam populi multitudinem verba faciente P. Iosepho Galloni (Prov. Rom.). Etiam interdiu piam Beatae Virginis « de Guadalupe » imaginem visitabant et coram illa ardenter orabant plurimi cum Romani tum ex omnibus catholicis populis, qui Romae repraesentantur, praesertim e Pontificiis Collegiis Pio Latino Americano, Hispanico aliisque.

Die dominico 16 decembris, sub vesperum, sollemnis pompa instituta est ad imaginem illam in locum suum in basilica S. Nicolai restituendam, comitantibus cum RR. DD. Nicolao Giannattasio, Archiepiscopo tit. Pessinuntino, membris peculiaris Coetus promotoris devotionis B. M. V. « de Guadalupe » (1) et Legato Peruviae apud Sanctam Sedem, variis consociationibus et Collegiorum alumnis et ingenti populo. Totam caeremoniam in basilica S. Nicolai in Carcere Tulliano clausit Eucharistica benedictio, quam Emus. Card. Donatus Sbarretti impertivit.

De magna erga Patrem Pro veneratione.

Ad sepulcrum P. Michaelis Augustini Pro, qui ceu Christi Regis Martyr passim habetur, non ordinarius est populi concursus. Curae prodigiosae et favores crescunt in dies; nec tantum ex variis Mexici partibus, sed etiam e Statibus Foederatis, aliquando etiam ex Europa novae gratiae nuntiantur. Invocatur cum fructu ab iis qui cancro, paralysi, oculis laborant. Iamque scribunt Patrem Pro, si licet comparationem cum potentissima illa Lexoviensi Thaumaturga instituere, fortasse haud multum dissimilem fore a S. Teresia a Iesu Infante in favendis suis clientulis.

Pro die anniversario ab eius internecione (23 nov. 1928) restauratum est sepulcrum: sublatis ex devotione florum vasis prioribus, nova e caemento posita sunt: « Eo die plurimus populus peregrinando adfuit ».

Romae eo ipso die — privata illa quidem et humillima sed devota — praeside P. Camillo Crivelli, caeremonia commemorativa habita est. Granatae vero (Prov. Baeticae) nostri Scholastici sol-

(1) Huius peculiaris coetus permanentis, qui cum comitatu quem diximus de centenario basilicae S. Nicolai amice collaboravit, Patroni sunt Emi. Cardinales Merry del Val, Sbarretti, Ragonesi, Henricus Gasparri; Praesides vero sunt Exmus. Dnus. Iosephus de la Riva Aguero Marchio de Montealegre de Aulestia et Exma. Dna. Rosa di Casa Davila.

lemnem actionem litterariam eodem die instituerunt, quae omnium animos vehementer movit.

Ad res insolitas, quae de hoc Servo Dei post mortem perferuntur, colligendas, quidam Pater in Mexico deputatus est.

Nos tria facta, speciminis causa, referre contenti erimus, quae ex secunda editione libri a P. Dragon conscripti (1) aliisque authenticis documentis depromimus.

Primum contigit ipso necis die (23 novembris 1927). Matrona quaedam quae P. Pro confessario utebatur, documenta aliqua hereditaria, summi quidem ea momenti, consultandi gratia, ad eum detulerat eique remiserat. Illis apud ipsum adhuc manentibus, ecce improviso spargitur rumor de eius occisione. Mulier perterrita ad suum civilem procuratorem accurrit, eique infortunium suum narrat et flens petit quid sibi faciendum supersit. Stupet ille: nam paulo ante ipsum Patrem Pro ad se venientem viderat documenta restituturum, quae mulieri obstupescenti advocatus ille ostendebat.

Secundum referimus ex epistola alia, Mexici (ex urbe) data die 27 decembris 1927, quae habet: « Iosephina Delgado cancro laborabat. Eius medicus, Dr. Vásquez, cum iam post paucos dies alter cancer appareret, diligentem incisionem suasit: sed iuvenis infirma recusavit. Alter vero medicus, Dr. Peter, rogatus, radios « X » applicavit, iamque, post sex hebdomadas, octo cancri conspiciebantur. Duo alii medici, Dr. Gutiérrez et Dr. Eguiluz, consultationem habuerunt; qua peracta, alter dixit: Unica spe in excisione, miracula enim, saeculo XX, non sunt in usu!

« Misella infirma novendiale ad P. Pro incepit, magnaque fide reliquias apposuit. Post paucos dies, priorem suum medicum adivit, quem ut se visitaret, rogavit. Ecce autem hic partem infirmam ad sanitatis normas restitutam repperit, quodam puncto minimo excepto, et ipso iam disparituro.

« Homo diligenter aegram percontatus est, quae respondit: « Nihil! Tantum reliquiae! ». Nihilominus medicus aliquid praescripsit, quo infirma ad se revocaret. Cum autem haec revenit, etiam punctum illud ex integro evanuerat, nec signum recentis mali alteriusve cuiuscumque apparebat amplius. De toto eventu hic medicus testimonium scriptum infirmae reliquit, paratusque est iurare, et a suis collegis similem attestationem obtinere ».

(1) Ant. Dragon S. J. — *Le Père Pro,* 2.me édit. Museum Lessianum. Louvain, 1929. — Cfr. supra, pp. 221, 247.

Tertium est sanatio caecae quae contigit eodem die ac primum, scilicet 23 novembris 1927.

In suburbio « Tacuba » proxime ad urbem Mexicum est domus divitis cuiusdam viri: Vallarares is appellatur. Huic famula erat, aetate provecta, humilis conditionis, et iam a sex annis, et amplius, oculis capta.

Illo vespere (23 novembris) etiam « Tacubae » sermo erat de casibus diei et de magno concursu ad cadavera fratrum Pro. Dominus Valladores famulae proposuit, ut, quoniam egredi non poterant, indidem ad Deum precem parvam funderent ut « intercedente anima P. Pro » visum reciperet. Assensit mulier ac simul brevem precationem fecerunt.

Ecce autem, momento, inclinavit se famula ac manum heri capiens eam strinxit, ac laeta risu et tranquilla domino gratias egit. Is mirabundus interrogavit an videret. « Ferme! » inquit illa.

« Indica pedem dexterum » subiecit herus. Illa indicavit sinistrum, sed illico se reprehendit, permutaverat enim suum cum domini pede.

« Ubi est meum os? », iterum rogavit ille. Et mulier digito suo fere os domini tangebat.

Ut omnem dubitationem is excluderet, interrogavit an legere sciret, quae respondit utique se *iam* scivisse. Dominus ephemeridem porrexit, quam illa legit.

Hinc magna animorum motio supra quam dici potest: Sacerdos qui aderat, ad familiam Pro factum rettulit.

Facta haec profecto insolita et inusitata: sed de his iudicare Superiorum esto: nos historice narramus. Propterea addimus P. Socium Praepositi Provinciae Mexicanae, P. Henricum del Valle, 108 litteras accepisse, gratias agentes, pro favoribus a P. Michaele Pro impetratis.

VII.

DE MISSIONE LITHUANA

(Prov. Germ. Inf.).

De prospero huius Missionis statu deque spe maioris in dies Societatis incrementi nihil melius dicere possumus quam ad verbum fere exscribere, quae cum anno 1928 tum nuper (mense octobri 1929) ad Patrem Nostrum illinc relata sunt.

De Collegio Kaunensi.

Et primum quidem optima prorsus nuntiabantur anno 1928 de Collegio S. Stanislai, Kaunae in urbe Lithuaniae principe sito:

Amplificatio et restauratio domus Kaunensis, Deo favente, Eiusque in terris Vicario (qui Collegii Kaunensis renati fundator vere dici potest et debet) largissima liberalitate providente, anno 1925 exeunte feliciter ad finem perducta est.

Discipulorum numerus, qui anno 1924-25 fuerat 30, annis proximis hoc modo crevit:

1925-26	90,	ex	quibus	in	convictu	45;
1926-27	140,	»	»	»	»	65;
1927-28	220,	»	»	»	»	100.

Inter nobiliores discipulos nominandi sunt princeps Constantinus de Radziwill ex antiquissima eminentissimaque Lithuaniae principum familia; deinde filius unicus D.ris Antonii Smetona, novae rei publicae primi itemque quarti Praesidis; multorum denique Ministrorum, altissimorum officialium, nobilium bonarumque catholicarum familiarum filii. At neque pauperibus desumus Salvatori nostro carissimis, iis praesertim, qui Christi vestigia vexillaque sequi statuerunt: in omnibus scholae classibus reperiuntur alumni a Deo ad vitam religiosam vocati et in classe sexta, in praesentia suprema, ex 35 discipulis 12 sunt Societatis nostrae candidati.

Cum gubernium Lithuanum scholae nostrae omnia fere dederit iura publicis gubernii scholis concessa, magistri discipulique nostri omnibus privilegiis materialibus et iuridicis plene utuntur.

Quoniam antiquae Societatis Collegium Kaunense multa habuit praedia, Episcopus Samogitiensis anno 1925 praedium ecclesiasticum « Audenisi » ecclesiae nostrae dono dedit; sed quia longius a Collegio distabat et propter agrorum sterilitatem aliasque rationes nullam fere utilitatem nobis offerebat, opportunam nacti occasionem gubernio illud

restituimus eiusque loco accepimus praedium « Bajenai » 30 km. distans a Collegio ad ipsum flumen Nevežys in pulcherrima et fertilissima regione situm; ubi a medio mense iunio usque ad medium mensem augustum Patres et Scholastici feriarum tempus transigunt.

Annis autem sequentibus numerus discipulorum Collegii auctus est. En quae de hac re nuper accepimus:

1928-1929	erant	240,	ex	quibus	in	convictu	110;
1929-1930	sunt	300,	»	»	»	»	120.

Labores apostolici.

Praeter munera in schola et convictu Patres sedulo etiam officia apostolica obeunt, cum in universa Lithuania tum in ecclesia nostra, quae hominibus eruditis, praesertim viris, ex omnibus civitatis Kaunensis ecclesiis unice placet ab iisque maxime frequentatur. Maximam curam impendunt Nostri in Exercitia S. P. Ignatii tradenda sacerdotibus, clericis, omnibus in Lithuania monialibus, tempore quadragesimali omnium maiorum civitatum gymnasiis publicis et privatis ludimagistrorumque seminariis, immo et exercitus Lithuani in civitate capitali tribunis. Receperunt etiam in Ecclesiam Catholicam aliquot protestantes nobiles nonnullosque doctores et magistros Iudaeos.

Periodicum « Stella » (Žvaigždė), quod mense ianuario 1926 a sacerdote saeculari susceptum in « Nuntium SS. Cordis Iesu » converterunt Nostri, subscriptores anno 1926 habuit 700, anno 1927 autem 2000 et anno 1928 circiter 8000.

Apostolatus Orationis, anno 1924 inchoatus, anno 1928 sociorum fere 10.000 habebat; nunc vero circiter 100.000 sodalium habet: augmentum sane mirandum! Hi autem Apostolatus Orationis sodales toto hoc anno iubilari Summi Pontificis (1929) non minus 2.000.000 piorum operum pro Beatissimo Patre peregerunt Eique obtulerunt.

De Domo probationis Tytaviensi.

Anno item 1928 de futura probationis Domo nonnisi spes habebatur. Nam haec scribebat tunc (die 16 februarii) Rector Collegii, P. Ioannes Bapt. Kipp:

Ad ulteriorem Societatis in Lithuania progressum maxime necessaria est Domus probationis in ipsa Lithuania constituenda. Quod consilium ut celerius faciliusque possemus exsequi, nuperrime ipse primus Lithuaniae Minister Woldemaras se proximo mense maio 1928, recurrente decimo Reipublicae Lithuanae die natali, Societati nostrae aptum praedium 80 hectara ad Domum probationis aedificandam daturum promisit.

Quod promiserat Minister, id profecto opere complevit. Nam res omnes ita componi potuerunt, ut hoc anno 1929 exoptata Domus probationis Tytavensis non modo iam aedificata sit sed die 15 septembris, B. M. V. Perdolenti sacro, « omnibus difficultatibus mire superatis » (ut scribit R. P. Bernardus Bley, Viceprovincialis in parte orientali Provinciae Germaniae Inferioris) rite aperta sit. Reginae Societatis Iesu faustissimo omine dicata est illa Domus, in illaque, praeter duos Patres ad eam variis muneribus regendam destinatos et tres Fratres Coadiutores veteranos, iam degunt sex Novitii scholastici (e quibus unus sacerdos), quatuor Novitii coadiutores, quinque Postulantes. Ex his omnibus viginti novae Domus incolis, sedecim Lithuani sunt. « Parvum sane (ait idem R. Pater Bley) granum sinapis; sed iam anno proximo numerus duplicabitur, cui interim domus aptabitur ».

Praedium illud, in quo domus exsurgit, quodque a Gubernio datum erat, a Ministris publicis regiminis interni et agriculturae ut Missioni Lithuanae Societatis Iesu traditum agnitum est et tanquam Societatis proprium in tabulis publicis definitive et formaliter est inscriptum. Etiam cum pristinis praedii possessoribus relationes amicitiae servantur, qui quidem possessionem suam retinere maluissent, sed, lege adstricti ad eam cedendam, nulli libentius, quam Societati cesserunt.

Faxit Deus ut hoc granum sinapis mox in magnam arborem succrescat ad maiorem Ipsius gloriam et Lithuanicae gentis spirituale emolumentum.

VIII.

DE QUARUMDAM DOMORUM NOSTRARUM IUBILAEIS

ANNIS 1927-1928.

Ut supra promisimus (1), peculiarem hic narrationem damus de festis iubilaribus quarundam Domorum nostrarum, de quibus ad nos relatum est. Chronologicum ordinem sequemur.

Verolense Collegium (Prov. Arag.).

Ineunte mense septembri 1927 Verolae (*Veruela*) quinquagesimum annum celebrarunt Nostri ex quo Patres Fratresque Societatis, ab exsilio revocati, sedem et veluti Seminarium Provinciae Aragoniae ibi posuere, in coenobio (cui adnectitur B. M. V. Sanctuarium) quod iam a saeculo XII Cistercienses habitaverant, quodque a Gubernio Hispano in usum Nostris ab exsilio redeuntibus commodatum erat. Sed de his festis ipsum Provinciae Praepositum praestat audire, qui die 21 sept. 1927 ad Patrem Nostrum haec referebat:

«... Triplicem finem in his festis instituendis nobis proposuimus: Deo et Btae. Virgini Verolensi gratias publice persolvere, propter singularem amorem quo quinquaginta annorum spatio tum Provinciam nostram prosecuti sunt, tum iuvenes nostros in domo Verolensi virtute et litteris aluerunt; mutuam nostrorum Verolae degentium et pagorum finitimorum amicitiam firmare; exteris atque etiam primoribus viris, nec minus Superioribus Provinciae notam facere operam a Nostris impensam in educandis iunioribus Socetatis, et eorundem Iuniorum in studiis litterarum progressum exhibere.

Et vero, triplex ille finis, opitulante Deipara et Patribus Fratribusque Collegii Verolensis gnaviter consilium executis, abunde obtentus est, ut ex programmate typis Verolae excusso coniici licet.

Die 31 augusti initium factum novendialium precum in templo; diebus autem 5, 6, 7 septembris triduum solemniore ritu celebratum, convenientibus non paucis incolis finitimi pagi cui nomen Vera. Atque ita praeparatis animis, advectis Verolam plerisque Superioribus Domorum praecipuarum Provinciae, ac demum Emmo. Cardinali Granatensi (2), quem utpote in vicina urbe Borja natum, peculiari titulo de-

(1) V. supra, pag. 217.

(2) Em. Card. Vincentio Casanova y Marzol, Archiep. Granaten.

cebat festis praeesse, et Exmo. Episcopo Oscensi (1); dies octavus septembris splendidus illuxit.

Ad sacram Synaxim accessit primis diei horis bona pars incolarum Verensis pagi, cuius senatus, praesule id curante, pridie ad nos venerat, ut coram omnibus nostris Superioribus tabulas publico Municipii sigillo signatas legeret, quibus gratus patefiebat animus ob beneficia omnis generis a Nostris his quinquaginta annis civibus praestita.

Hora decima cum dimidio pulcrum visu spectaculum viae exhibebant, quae Verolam ducunt. Convenerant ex conterminis pagis atque adeo ex urbibus Borja et Tarazona maxima multitudo (circiter tria millia) peregrinorum, cruce singularum paroeciarum elata. Hanc piam peregrinationem praeparandam sponte susceperant parochi, pro sua erga Virginem Verolensem et Societatem nostram benevolentia.

Mox amplissimo templo prorsus referto, sacris pontificalibus operatus est Cardinalis Granatensis, concinentibus nostris Iunioribus. Pro concione dixit Episcopus Oscensis, O. S. A., cuius in verbis nescio quid magis simus demirati, eloquentiam uberrimam simulque solidam, an amoris sensus erga nostram Aragoniae Provinciam, sincerissimo animo coram illa ingenti hominum turba expromptos. Dignum sane censeo tam bene meritum de nobis Episcopum, cui Societas gratum animum testetur.

Tam opportunam congregatae multitudinis occasionem haud praetereundam rati, tres oratores, unum e Borja virum, olim alumnum Collegii nostri Caesaraugustani, duos e Tarazona egregios iuvenes, zelo animarum accensos, invitaramus, ut in via platanis obumbrata, pro templi foribus, verba ad populum facerent, eumque ad Beatam Virginem impensius in dies colendam, ad pietatem christianam libere profitendam, ad execrandum blasphemiae vitium penitus avertendum, hortarentur. Id oratores non minus scite quam ferventer praestiterunt, finemque imposuit dicendi Illmus. Vicarius Capitularis Tirasonensis (*Tarazona*), Nostris eo ardore gratulans, qui e Sacerdote tam amantissimo Societatis sperari iure poterat.

Atque hoc modo, concinentibus cunctis laudes populares Deiparae, atque in suos quibusque pagos digressis, dies laetissime clausus est.

Posterus dies 9 septembris, reservatus erat academiae litterariae publice habendae, quae a Iunioribus nostris eo consilio scripta erat et praeparata, ut et artem exercerent, et amicis nostris poetico more patefacerent quid Provincia nostra his quinquaginta annis pro Dei gloria praestitisset.

Carmine dramatico expolitissimo res ab Aragoniensi Provincia gestas exhibuerunt. Nullus fuit apparatus scenicus, mirus ordo et parsimonia in rebus apparandis et exercendis, exhibitio tam accurata, sententiae tam exquisitae ad alte de Societate sentiendum, cantus tam accommodati ut saepe auditores in plausus erumperent.

(1) RR. DD. Matthaeo Colom y Canals, O. S. A., Ep. Oscen. (*Huesca*).

Hos igitur festos dies, communi omnium Nostrorum, Patrum veteranorum Iuvenumque, qui in spem Provinciae adolescunt, laetitia nuper actos, non parum arbitror contulisse ad fines assequendos quos nobis esse propositos innui, ad amorem etiam erga Deiparam nostramque Societatem inflammandum, atque ad novos animos nobis addendos, ut et Iuvenes nostros rite erudiamus et ipsi, tot illustrium virorum vestigiis inhaerentes, quorum est exemplo illustrata nostra Provincia, accomodati, ut saepe auditores in plausus erumperent.

Finitis festis hoc telegramma duxi mittendum ad Catholicum Regem nostrum, ut eum de omnibus redderem certiorem: « Mayor« domía de S. M., San Sebastián. — Al terminar fiestas solemnísimas, « presididas Cardenal Granada por cincuentenario permanencia conce« dida por Augusto Padre Vuestra Majestad a Provincia Aragó Com« pañía de Jesús en Real Monasterio Veruela, manifestamos agrade« cidos satisfacción profunda y elevamos fervorosas oraciones por Su « Majestad y Real Familia. Vilallonga, Provincial ».

En responsum quod sine mora mihi transmissum est: « Padre « Vilallonga, Provincial. Residencia Jesuitas. Lauria 13. — Enterado « S. M. el Rey solemnes fiestas celebradas en Real Monasterio Veruela « por cincuentenario permanencia, les agradece muy sinceramente « amable recuerdo y fervorosas oraciones rogándoles continúen siempre « impetrando bendiciones del cielo para España y toda la Real Fa« milia. Saludos. »

Admodum Reverendae Paternitatis Vestrae

infimus in Xto. servus et filius
JOACHIMUS VILALLONGA S. I.

Antuerpiense Collegium S. Ignatii (Prov. Belg.).

Antuerpiae (Prov. Belg.) « Institutum S. Ignatii » tenent ac moderantur Nostri: conditum est anno 1852 a P. Paulo Hessels (1802-1874). Huic Instituto anno 1902 adiuncta est « Schola Superior Commercii » quae P. Franciscum De Cleyn praecipuum agnoscit auctorem, qui, anno 1927, quinquagesimum religiosae vitae annum agebat. Recurrebant ergo, eo anno, tres anniversarii dies, scilicet LXXV Instituti S. Ignatii, XXV Scholae Superioris Commercii et quinquagesimus vitae religiosae memorati Patris De Cleyn.

Belle omnium tres celebrationes diebus 15-16 octobri 1927 sociatae evaserunt, decoratae praeterquam ab urbis magistratu aliisque primoribus viris, ab Em. Card. Van Roey praesentia et sermone. Hic fecit Scholae Superioris Commercii pulcrum elogium sub duplici respectu excellentiae in commercii professione et (quod primum profecto est) vitae vere christianae: 865 diplomata « *licencié en sciences commerciales* » distributa sunt; 12.000 alumnorum Instituti aulas frequentarunt, a quibus sat multi deinde,

divinitus vocati, commercio relicto, ad spiritualia Christi et animarum negotia curanda transierunt.

In telegrammate ad Summum Pontificem, fidem et obsequium profitentes, « in Eo verorum aeternorum Custodem et Interpretem venerabantur, et Eum qui humanam societatem ad destinationes duceret aeternas » ; Patri vero Nostro similiter gratias agebant « pro institutione in religione et in scientiis, ex qua fieret ut in mundo commercii et pecuniae influxum sincere et valide catholicum exsererent ». Regi quoque suo nuntium miserunt: atque hi summe Viri omnes benigne et gratantes responderunt.

Collata pecunia, « bursa » seu studiorum peculium constitutum est, cui nomen datum « Bourse du Jubilé ». Pulcher etiam editus est liber cui titulus « Memorial Jubilaire: 1857-1902-1927 ».

Nuperrime autem (ineunte octobri 1929) huic lectissimo et florentissimo Instituto feliciter contigit, ut amplum et pulchrum antiquae Societatis Collegium cum ingenti adiecta agrorum hortorumque planitie redimi potuerit, in quod paulatim transferetur.

Cheriense Collegium Maximum (Prov. Taurin.).

Collegium Maximum Nostrorum Cheriense die 17 ianuario anni 1928 tertium saeculum vitae suae magnis festivitatibus prosecutum est.

Ritui religioso confertus populus adfuit: sacra generalis Synaxis quam celebratissima: « Te Deum » et conclusio in nostro templo S. Antonii Abatis (cuius insimul eo die festum erat) sollemnissima. Extra templum sero, in aula Collegii maxima, publica Academia musico-litteraria Collegii conditorem, celebriores incolas, eximia opera, quibus domicilium per tria saecula floruit, hodieque floret, apte omnino, concinne ac feliciter revocavit.

Conditor fuit Mauritius Cardinalis Sabaudus qui anno 1628 Nostros Cherium vocavit, tirocinium offerens, ac, sequentibus annis, templum ac domum nobis erexit.

Hic porro habitarunt (de renata Societate tantum loquimur) clarissimi viri, ut PP. Antonius Bresciani, Franciscus Pellico, Secundus Franco, Iosephus Brunengo, Iosephus Paria, Fridericus Tornielli, Matthaeus Ciravegna, Sanctes Schiffini aliique etiam extra Europam celebres.

Nam hinc, post annum 1848, profecti sunt qui Missiones Americanas Montium Saxosorum et Alaskae atque etiam deinde Provinciam Californiae condiderunt.

Domus praeterea bonis « Operibus » praestat claraque est.

Hodiedum vigent «Opus Secessuum Opificum» quod hic natum et in reliquam Italiam diffusum «Foederibus Perseverantiae» completur. Pro iuvenibus studiosis floret «Congregatio Mariana: aliis vero hominum classibus sunt suae Sodalitates variae constitutae in templo: hoc autem centrum est actuosissimum cultus Eucharistici et Mariani: aliquot millia libellarum pro eius decore, tanquam festi mnemosynon collata sunt.

Valsense Collegium Maximum (Prov. Tolos.).

Tribus celebrationibus, scientiae, caritatis, pietatis diebus 8, 9, 10 iunii 1928, Collegium Nostrorum Maximum Valsense centesimum annum natalem egit.

Die 7 a vespere, R. P. Norbertus de Boynes Galliae Assistens, ab adm. R. P. Generali legatus missus, Nostris salutem attulit litterasque a Patre Nostro datas legit, dum illum Patres et Fratres domus et RR. PP. Praepositi Provinciae Tolosanae et Provinciae Franciae, PP. Rectores Angiensis (Prov. Camp.) et Jerseiensis (Prov. Franc.) Collegiorum, compluresque Patres veterani circumstant.

Die 8, festis saecularibus Magnus Philosophia Actus initium dedit, festum igitur *scientiae*, instantibus P. Ioannes Bapt. Janssens (e Coll. Lovan., Prov. Belg.), P. Aemilius Delaye (e Coll. Lugdun.), P. Paulus Galtier (e Coll. Angiens., Prov. Camp.), P. Christianus Burdo (e Coll. Jerseien., Prov. Franc.), FF. Iosephus de Finance de Clairbois (Prov. Tolos.) et Aloisius Renard (Prov. Belg.), scholasticam nostram philosophiam optima cum omnium satisfactione defenderunt, ita ut P. Rector Vedastus Guizard apte ad eos illud Sapientiae accommodasset: «Habebo, propter hanc, honorem apud seniores iuvenis». Praeter alios graves viros, Seminarii Aniciensis (*Le Puy*) Superior et Magistri videbantur.

Dies 9 festum *cordium* potuit dici. Et primum quidem, hora undecima, P. Carolus Parra, Apostolatus Orationis in Gallia Secretarius Nationalis, coram Nostris multisque Aniciensibus sacerdotibus, Apostolatus Orationis historiam evolvit et quomodo, PP. Francisco Xaverio Gautrelet et Henrico Ramière curantibus, hoc praeclarum opus in Valsensi Collegio duxisset originem narravit. Episcopus, habitum est; cuius sub finem, P. Vedastus Guizard Collegii Rector et R. P. Leontius Aurel Praepositus Provinciae Tolosanae (lecto telegrammate quod Universitas Gregoriana Roma miserat), Deo et domus amicis gratias egerunt et res per

centum annos in Seminario gestas breviter explicurunt: In hac domo, anno 1828 condita, Reverendissimo Domino de Bonald Aniciensi Episcopo postulante, nostros maiores in tanta paupertate per primos menses fuisse ut cibum quotidianum a quotidiana incolarum caritate exspectarent; in hanc domum tot Scholasticos Societatis a patria eiectos receptos esse ut, anno 1848, R. P. Ioannes Roothaan, et ipse Roma expulsus, hic fratres e duodecim Provinciis invenerit; in hac domo clarissimos magistros PP. Ioannes Bapt. Franzelin, postea S. R. E. Cardinalis, Ioannes Petrus Gury, Portalié (non omnes percensemus) Nostros docuisse, ex eadem multitudinem iuvenum doctrinam hausisse, quorum sexcenti regiones infidelium christiana luce illuminassent, octo ad episcopalem dignitatem evecti essent.

Ultimus RR. DD. Rousseau quam stricte vita Collegii vitae Dioeceseos esset iuncta dicere dignatus est: is opera nostra numerare coepit: dominarum et ancillarum congregationes, conciones, sacerdotum recollectiones, catechismos in quos Scholastici incumbunt, cantus scholae cantorum quibus ecclesia episcopalis, diebus festis personat, Orationis Apostolatum, Eucharisticam Cruciatam; nullum opus, nullum operarium omisit. Perbelle etiam B. Natalis Chabanel et S. Ioannis Francisci Regis memoriam revocavit, et antiqua vincula novis apposuit comparavitque.

A prandio Academia sollemnissima hos sermones excepit ac confirmavit: omnimoda oratione et soluta et ligata et historica, gesta saecularia repraesentata sunt: antiquum castrum « Mons »; « Velay » beatitates, antiquae memoriae, heroica opera, viri « quorum pietates non defuerunt... » « et filii eorum cum ipsis » sub oculis nostris revixerunt. Post haec benedictio cum SS. Sacramento ab Episcopo impertita diem hunc historicum et posterorum memoria dignum, centrum et sollemnitatum culmen, coronavit et absolvit.

Dies 10 tota pia, precbus gratiisque Deo habendis et inter Nostros familiaritati fovendae tributa est. Post meridiem R. P. de Boynes apud Scholasticos contionem habuit: De modo studendi secundum consuetudinem Societatis mentemque Patris Generalis.

In his diebus, omnibus Fratribus et Patribus fatentibus, existimatio et amor Societatis et dilectio inter Nostros maxime aucta est.

Dum haec domi et intime peraguntur, Apostolatus Orationis

qui domum Valsensem matrem agnoscit, suas publice celebrationes per eosdem dies sociabat.

A puerorum Cruciata Eucharistica initium factum: reliquis diebus Sacra et generales Synaxes per urbis Anicii (*Le Puy*) paroecias distribuebantur, templo SS. Cordis Orantis ultimo die reservato. Multi Directorum conventus *practici* celebrati: origo Apostolatus Orationis, spiritus, praxes, fructus renovati: coniunctio aucta et vita fecundior incepta. Ut bene dicebat orator in extremo festorum ad populum sermone: Domus Valsensis fuit officina *studiorum*, officina *actionis*, officina *orationis;* primis duabus officinis populus remansit, ut dicitur «beneficiarius»; tertiae autem exstitit «cooperarius». Simul ergo opus divinum praestiterunt, cum tria signa in eo experti essent: signum «humilitatis», signum «persecutionis» et signum «caritatis»; tria *signa* et ad omne opus divinum *sigilla.*

Oscensis Residentia (Prov. Arag.).

Mira sane ratione et digna quae in exemplum proponatur nostra Residentia Oscensis (*Huesca,* Prov. Arag.) quinquagesimum ab institutione annum (1878-1928) mense novembri 1928 celebravit.

Accessit siquidem consilio Patris Nostri, qui ait «per has occasiones defugientes rumorem externum divinae gloriae incremento in primis consulamus». Nostri igitur procurarunt non tantum ut urbs, sed et tota civilis provincia Oscensis publice ac sollemniter Christi Regis Cordi devoveretur.

Nil maius aut magnificentius in ea urbe fieri potuit. Ritum sacrum matutinum peregit die 4 novembris Excell. Antistes Oscensis, adstante quoque RR. DD. Episcopo Conchensi (*Cuenca*): sollemni Pontificali omnis auctoritas et civilis et militaris splendide adfuit ac Missam a 400 omnium scholarum pueris alternis choris decantatam gustavit, chorum popularem dirigente P. Pascali Agustí (Prov. Arag.).

In ritu vespertino, quando consecratio peracta est, tres erant Episcopi, nam advenerat etiam RR. Episcopus Jacensis (Jaca)· nunquam talis pompa Oscae visa est. Rex Divinus inter suum populum deducebatur: utque in plateam ante templum maximum ventum est, urbis Praefectus (*Alcalde*), plebem allocutus, consecrationis actum legit: hoc idem alibi, e loco edito, nomine provinciae civilis eius Praefectus effecit. Has consecrationes Praesulum

sermones ac Benedictio Eucharistica excpiebat. Augustissimae caeremoniae in nostro templo finis impositus. Antistes dioecesanus RR. DD. Matthaeus Colom y Canals, O. S. A., orationem in Societatis laudem recitavit Nostrosque in bonis operibus confirmavit.

Universitas « Aurora » Shanghai (Prov. Franc.).

Quamquam de vigesimis quintis domorum anniversariis festa apud nos peragi non solent, neque de iis peculiarem memoriam retexendi morem inducere minime volumus, talia tamen sunt Sinarum et huius Domus adiuncta, ut de hac commemoratione aliquid nobis dicendum ducamus.

Eodem igitur mense novembri 1928 in Sinis agebatur memoria vigesimi quinti anniversarii ex quo Collegium S. Petri Canisii in Lou-ka-wé (Shanghai), quod Universitas « Aurora » nuncupatur (Miss. Nankin., Prov. Franc.), initium sumpsit. Hoc autem eius fuit humile exordium: ineunte anno 1903 aliquot iuvenes, qui in Universitate pagana Nanyang prope Zi-ka-wei litteris studebant, dominum Iosephum Ma Siang-Pe, clarum litteratum christianum, adierunt eumque rogarunt ut philosophiam et linguam latinam ipsos doceret. Re cum Superioribus Missionis collata, dominus Ma annuit, aliquot Nostris Scholasticis primum, deinde aliquot Patribus adiuvantibus. Ex his studiis paulatim sese evolventibus, « Aurora » Universitas nata est, cuius vicissitudines enucleatius enàrrare non huius est loci.

Huius igitur fundationis iubilaeum diebus 9-11 novembris 1928 celebratum est. En quomodo ex ipsa Missione ad nos relata res
celebratum est. En quomodo ex ipsa Missione ad nos relata res est:

Quovis ex illis diebus, festa coepta sunt Missa ab uno ex Episcopis Nostris (Prov. Franc.) celebrata coram 100 catholicis aut catechumenis qui variis scientiis student in « Aurora »: RR. DD. Paris, Simon Tsu, et Augustus Haouisée, intra aut post Missam eos cohortati sunt de officiis strenue et pie exercendis.

Hoc triduo, licebat omnibus utriusque sexus adeuntibus inspicere scholas, bibliothecas, officinas, musea, cubicula; alumnique omnes excipiebant ea suavitate et comitate quae optimam educationem in « Aurora » acceptam testarentur.

Die 9 novembris, post meridiem, lectae sunt dissertationes ludique habiti sinice et latine; die 10, comoediam Molière « *Le malade imaginaire* » interpretati sunt alumni; die 11, exercitia physica et concentus musicalis sinensis ab illis qui olim in « Au-

rora » studuerant oblata sunt. Aula maxima Universitatis hisce festis instaurata est, celeberrima corona, praesertim Sinensium, ad omnia exercitia conveniente. Duces militares virique diplomatici Galli, qui multi ad eos ludos conspiciendos venerunt, mirati sunt qua facilitate et comitate iuvenes illi Sinenses linguis latina et gallica uterentur.

Die 11°, habitum est festivum prandium, in aula maiore Universitatis. Convenerant, cum duobus Episcopis Nostris, RR. DD. Augusto D. Haouisée et Simone Tsu, tres e viris Rempublicam Sinensem Nankini gubernantibus, consul Galliae, praefectus classi gallicae, innumeri duces copiarum sive navalium sive terrestrium, praecipui magistratus Sinenses Shanghai. Aderant fundatores « Aurorae » : D. Ma Siang-pé nonagenarius, et D. Tsai Yuan-pei, qui ministerium instructionis publicae gessit rectorque Pekinensis Universitatis fuit. Plus quam 150 viri aut iuvenes qui olim scientiis in « Aurora » studuerunt laetum conventum agebant. Oratores, praeter consulem Galliae et rectorem Universitatis, omnes Sinenses fuerunt; omnes « Auroram » laudaverunt quod duplicem culturam, sinensem et gallicam, alumnis praeberet, utramque necessariam Sinensibus hodiernis si velint patriae magni officiis prodesse.

Paucis diebus postea, P. Petrus Lefebvre, Rector « Aurorae », invisebat subpraefectum urbis Shanghai, cui gratitudinem significaret ob benevolentiam occasione iubilaei Universitatis exhibitam. Magistratus Sinensis peculiares laudes tribuit « Aurorae » quod seria disciplina alumnos a rebus politicis amoveret, ad studia unice applicaret : doluitque in omnibus scholis publicis Reipublicae Sinensis passiones politicas cum studiis tum rectae iuvenum institutioni nocere

Scodrense Collegium Xaverianum (Prov. Ven.).

Item mense novembri 1928 Scodrae in Albania annus ab inito Xaveriano Collegio (Prov. Ven.) quinquagesimus commemoratus est.

Ut paululum ab alto rem repetamus, non constat antiquam Societatem unquam in Albania sedem habuisse. Urbem Scodram in renata Societate primus ingressus est P. Claudius Stanislaus Neri, anno 1856. Potissima Societatis cura ex mandato apostolico fuit Collegium Pontificium seu Seminarium condere, unde clerus pro sex Albaniae dioecesibus formatus prodiret. Et revera Episco-

porum et cleri hodierni maior pars ex eo instituto spiritum et doctrinam hausit.

Anno 1878, opera praesertim Patris, tunc Scholastici, Aloisii Ignatii Mazza, qui paternam hereditatem, Superioribus annuentibus, ad hunc finem destinavit, accessit Collegii S. Francisci Xaverii institutio. Nec minus hoc de externae iuventutis formatione quam illud de ecclesiastica est bene meritum: non paucas etiam vocationes sacras suppeditavit, e quibus RR. DD. Aloisius Bumçi, Alexiensis Episcopus, qui anno 1920 unus fuit e supremis Albaniae interinis rectoribus. Merito igitur huius Collegii iubilaeum celebrare voluerunt Albanienses Catholici; quin et Mahometani complures, praeeunte novo Albaniensium Rege Zogu I, haec festa grata se habere palam declararunt. Et sane quidquid ibi est bonarum artium, quidquid culturae classicae et humanitatis et in liberalibus disciplinis profectus his postremis temporibus — quin negentur aliorum merita — fortasse magnam partem his duobus institutis tribuatur necesse est.

Festis iubilaribus parandis, curante P. Lanfranco Steccati, Collegii Rectore, Coetus coactus est, cui praefuit RR. DD. Petrus Gjura tunc Scodrensis Parochus, nunc Dyracchiensis Archiepiscopus, olim Collegii alumnum. Rex ipse Zogu, utut mahometanus, supremus festorum Patronus esse dignatus est: « Nam, — inquit, — meum duco huiusmodi Instituta, quale est hoc Xaverianum a Iesuitis tam bene rectum, totis viribus fovere et promovere ». Sollemnium initium die dominico 18 novembris factum est et ad Sacrum pontificali ritu in Cathedrali die quidem 18 operatus est RR. DD. Lazarus Mjedia, Scodrensis Archiepiscopus, die 25 vero RR. DD. Ioannes Bapt. Della Pietra S. I. (Prov. Ven.), Chalcedonensis Archiepiscopus tit. et Apostolicus in Albania Delegatus, qui olim huius Collegii bis Rector fuerat. Utrique caeremoniae, sicut et aliis per illos dies festivis commemorationibus, aderat in primis Ill.mus militaris tribunus Leo de Ghilardi, Regis Zogu personam ex officio gerens, qui insignia regiae benevolentiae testimonia proferebat.

Mittimus scholasticas sollemnitates, ludos gymnicos, sermones, telegrammata, atque id genus alia. Collegii Fundatori P. Aloisio Ignatio Mazza parvum sed pulchrum monumentum dicatum est.

Omnes civium classes Patribus Societatis gratulatae sunt de festis tam bene peractis, quae Societatis aestimationi valde profuerunt. Ceterum de Scodrensi civitate atque etiam de tota Al-

bania Societatem optime meritam atque mereri fatentur omnes, multaque ibi exstant huius benemerentiae signa. Collegio enim, ut hoc referamus, officina typographica ab Immaculata Conceptione nuncupata adiungitur, quae forte omnium prima fuit in Albania constituta, quaeque inde ab initio usque ad mensem aprilem 1928, libros quidem 412 a se editos recensebat; sed schedas, plagulas foliola de rebus sacris, litterariis, historicis ac scientificis innumera dixeris. Inter editiones periodicas eminent « Nuntius SS. Cordis » et « Opus pium ». Insuper a paucis annis prodit « Series librorum in scholarum usum a Patribus S. I. edita », quae iam numerum XL attigit, laudaturque etiam ab externis.

Profecto, historia litteraria Albaniensis pro merito laudabit (ut solos quosdam defunctos memoremus): P. Iacobum Jungg (1837-1899), Grammaticae et Lexici ordinatorem; — P. Antonium M. Zanoni (1863-1915), clarum scriptorem; — P. Ioannem Bapt. Bazdhari (1877-1915), periodici « Perparini » redactorem; — aliosque sat multos.

Est et tertium institutum de iuventute bene meritissimum. Cum, e publicis calamitatibus nuper egressi, multi pueri orphani invenirentur, his occurrit, « Orphanotrophium SS. Cordis » erigens, P. Ioannes B. Della Pietra, nunc totius Albaniae Delegatus Apostolicus et Archiepiscopus Chalcedonensis. Igitur illi miseri educantur, aliquam artem discunt ac boni Christiani evadunt, qui secus Mahumetanorum praeda obvia forent.

Et haec quidem, ut nihil dicamus de Missione (quam vocant) *excurrentem*, de qua alias in *Memorabilibus* sermo fuit (1).

Horum festorum mnemosynon exstat pulcher liber commemorativus, albanice primum, deinde etiam italice editus, cui titulus: « *Il Collegio Saveriano di Scutari d'Albania nei primi cinquant'anni* (1878-1928) ».

(1) *Memorab. S. I.*, vol. I, 1921, pp. 580-587; vol. II, 1923-1924, pp. 223-228.

IX.

DE PRIMITIIS SACERDOTALIBUS DUORUM E NOSTRIS

PECULIARI DE CAUSA MEMORANDIS

(31 *iul.* et 28 *aug.* 1929).

Quod supra obiter tetigimus (1), hic enucleatius narrandum est, ut promissis ibi factis fideliter stemus. Et sane plane digne sunt, quarum memoria in nostris annalibus serventur, hae sacerdotales primitiae, quarum alterae catholicis Iaponensibus, alterae catholicis Bulgaris haud commune gaudium attulerunt.

P. Aloisius Ogihara, Iaponensis (2).

Ad natale S. Francisci Xaverii castellum (*Javier*, Prov. Castell.), ubi Iaponiae et Indiarum Apostolus primam lucem vidit, eminet hodie pulcherrima basilica pietate et opibus excitata Excmae. Ducissae de Villahermosa, Scholae Apostolicae Xaverianae fundatricis. In hac basilica P. Aloisius Ogihara S. I. (Prov. Germ. Inf.), iaponensis, confecto in Collegio Oenipontano (Prov. Austr.), tertio theologiae curriculo, sacris ordinibus in hispano Collegio Oniensi (Prov. Castell.) auctus, die 31 iulii 1929, S. Parenti Ignatio sacro, primum Missae sacrificium inusitato splendore litavit.

P. Ogihara natus ex parentibus a budhismo in nostram religionem magno studio conversis, nostram Universitatem Tokyensem convenit ut statui sacerdotali se praepararet. Dum philosophiae operam dabat, suum Societati nomen dare decrevit, atque a Superioribus saepe hanc gratiam efflagitavit, quae ei non ante concessa est quam studiorum curriculum et militarem instructionem anno 1922 absolvisset. Votum quod fovebat primi Sacri in natali S. F. Xaverii domo peragendi haud parvis difficultatibus

(1) V. supra, pag. 325.

(2) Ephemerides nonnullae dicebant hunc esse primum sacerdotem Iaponensem Iesuitam; quod tamen non est exactum, non solum absolute loquendo (nam in antiqua Societate bene multos habuimus, ut patet v. g. ex Beatis Ixida, Tzugi etc.) sed ne in nova quidem Societate, nam in Universitate Tokiensi (Prov. Germ. Inf.) adest et docet P. Paulus Tsuchihashi (Prov. Franciae) iaponensis.

patebat, quibus removendis maximo adiumento fuit nota ephemeris « El Siglo de las Misiones » plurium liberalitatem et gentis Navarrae studium suscitando.

Pridie S. Ignatii, occidente sole, magno explosionum et cymbalorum strepitu P. Ogihara, octo neosacerdotibus eorumque parentibus et cognatis stipatus, Xaverii excipiebatur. Horum sacerdotum quinque, PP. Raimundus Arcelus, Iosephus M. Echániz, Ioachimus Redín, Iosephus Uranga et Richardus Garcia Villoslada (1), grati revidebant almam Scholam Xaverianam, quae se olim per plures annos aluerat: his adiungebantur PP. Ioannes A. Mifsud ex Prov. Californiae, Felicianus Gastaminza et Philippus Goicoechea (Prov. Castell.). Domus Xaveriana festivo apparatu et ubique vexillis ornata, noctu luminibus mira arte compositis splendebat.

Postquam primo mane, consueto more, primitias Deo octo sacerdotes obtulerant, tot currus privati et publici ex septemtrionali Navarrae regione adveniebant, ut vix eos forum capere posset: ex his peregrinis eminebant Comites de Sobradiel, noti Societatis benefactores, Dux de Luna, nepos Fundatricis Scholae Xaverianae, qui neosacerdotes Xaverianos pulcherrimo calice donavit, Praefectus urbis Pampilonensis et Corpus Deputatorum Povinciae Navarrae, munere patrini civilis functuri et Patri Ogihara calicem singulari arte caelatum, pignus amoris in S. F. Xaverium, oblaturi.

Hora 10.30, celantibus parietes tapetibus, innumeris facibus accensis, constrictis ob frequentiam fidelibus, ad altare accessit P. Ogihara primum Deo Sacrum litaturus, inter concentus a Pampilonensis Cathedralis capella modulatos. Pro suggestu dixit P. Ioannes Iosephus Goicoechea, Rectoris Xaveriani et neosacerdotis frater. Absoluto sacrificio dum Hymnus Ambrosianus in gratiarum actionem modis a Perosi inventis canebatur et consecratae manus populi osculo porrectae erant, fidelium sensus patefacti sunt cum celeris signis tum praesertim toties repetitis osculis quot membra propriae familiae aberant.

In alumnorum triclinio viri publici et cognati neosacerdotum laetissimo convivio coniuncti sunt, praesidente P. Ogihara, cui cantus, versus atque etiam sinensem oratiunculam a P. Echániz Missioni Sinensi de Wuhu addicto, dedicarunt, quique brevi hi-

(1) P. Arcelus ex Prov. Baetica, reliqui ex Prov. Castellana.

spana oratione, plaudentibus omnibus, recitata et imaginibus, primae Missae testimoniis, distributis gratissimum festum coronavit.

Cum ad aures Alphonsi XIII, Regis Hispaniae, hoc Xaverianum festum pervenisset, gratulationem ad Patrem Ogihara misit, qui postea in urbe Santanderiensi die 21 augusti ab ipso Rege humanissime receptus est (1).

P. Yourdanus Karamitroff, Bulgarus.

Magnae consolationis, nec minoris spei argumentum praebet altera sacerdotalis evectio Sophiae in Bulgaria die 28 augusti 1929 celebrata.

Iam notum est quantopere Sancta Sedes promoveat vel initiationem vel transitum ad ritum byzantino-slavicum, et quantopere Pater Noster huic desiderio obsequatur, nam nonnulli e Nostris hic Romae, sed multo plures in Missione Orientali (Prov. Pol. Mai. et Maz.) eum ritum susceperunt, quae via eximia est ad desideratam unionem restaurandam; atque etiam tam in ea Missione quam in Rumaenica (Prov. Pol. Min.) plures in dies Societatem ingrediuntur sive Scholastici sive Coadiutores, qui illi ritui a pueris sunt addicti; quin et sacerdos Rumaenus ingressus est, suum ritum servans.

Sed nondum quispiam e Nostris eo ritu sacerdos primo consecratus fuerat neque ullus suas primitias vetustis illis et colendis caeremoniis Deo obtulerat.

Haec gratia, memorato die 28 augusti, P. Yourdano Karamitroff contigit. Nec tantum hic Pater, Bulgarus, Provinciam Lugdunensem ingressus, primus e Nostris ita consecrabatur, sed erat etiam prima ordinatio quam RR. DD. Cyrillus Kurteff, Episcopus tit. Briulisanus et Administrator Apostolicus catholicorum ritus byzantini in Bulgaria recens renuntiatus, ministrabat, prima etiam quae in templo illorum catholicorum habebatur. Id ingentem fidelium multitudinem attraxit, plures quoque « orthodoxos ».

Ritus perfecto ordine ac devotione processit, id quod non potuit non salubriter adstantes percellere. Neo-sacerdoti comes aderat P. Ioannes Zupan (Prov. Lugd.) et ipse ad Missionem Orientalem destinatus. Ambo hospites RR. DD. Kurteff, eius humanitatem et benevolentiam in Societatem exquisitissimis verbis extollunt. Uterque enim ad Patrem Nostrum delicatam epi-

(1) V. *Nuntii de Missionibus*, vol. III, n. 2 (oct. 1029), pp. 27-31.

stolam misit quae de his agit: Pater Karamitroff, suae epistolae subscribens, adnotat primam eam esse suam sacerdotalem subscriptionem.

Excellentissimus Antistes in sermonibus quos habuit in sacris et super mensam magnum Societatis desiderium manifestavit ac: « Si per me, inquit, staret, Iesuitae iam Sophiae domicilium haberent, et filios Societatis inter Bulgariae apostolos computarem ».

Quod vero haec sincera sint, ostendunt etiam litterae ab ipso ad R. P. Ioannem Costa de Beauregard, Praepositum Provinciae Lugdunensis missae, quas hic transcribimus:

Sofia, le 6 - IX - 1929.
rue Lulin, 7

Mon Très Révérend Père,

Votre bonne lettre du 24 Août, arrivée le jour-même de l'ordination de Karamitroff, m'a apporté de nouveaux remerciements de Votre part; c'est plutôt à moi de Vous dire mes remerciements, à Vous et à toute la Compagnie de Jésus, de l'honneur que l'on vient de faire à Notre Eglise Bulgare Catholique du Rite Byzantino-Slave et à moi-même, en faisant ordonner par Nous et dans la capitale de la Bulgarie elle-même, le premier jésuite selon le Rite Oriental.

C'était une fête pour nous à Sofia; pour moi, qui fais ma première ordination sacerdotale; pour nos fidèles de Sofia qui assistent pour la première fois à une telle cérémonie, et en général, pour tous les compatriotes du P. Karamitroff.

J'ai essayé de faire de mon mieux pour donner à mes chers hôtes une hospitalité cordiale sinon avec toutes les commodités qu'on pourrait trouver ailleurs. C'était mon devoir, et un honneur unique jusqu'à présent, d'avoir à ma table les deux membres de la Compagnie de Jésus.

La présence de ces deux bons Pères, au milieu de nos prêtres et de nos fidèles, a fait un grand bien à tous les points de vue. Tout le monde s'intéressait d'eux et de la Compagnie de Jésus, même les Orthodoxes; beaucoup de préjugés vont disparaître dans les esprits.

Il faut le dire aussi, la modestie, l'amabilité et surtout leur esprit religieux discipliné et scientifique nous a fait à tous la meilleure impression. La grande idée que l'on se fait des membres de la Compagnie de Jésus a été tout à fait justifiée à ce premier contact avec ces deux jeunes Pères.

Agréez, Mon Révérend Père, l'expression de mes sentiments les plus dévoués en N. S.

† Cyrille Kurteff
Adm. Apost.

X.

P. IOSEPHUS CATALDO

E PROV. SICULA, CALIFORNIAE APPLICATUS

(† 9 apr. 1928).

P. Iosephus Beniaminus Maria Cataldo, patria Siculus, Terrasini in archidioecesi Montis Regalis (Monreale) natales habuit die 17 martii 1837. Duorum annorum infantulus adeo infirmis viribus afficiebatur, ut parentes iam iam ad eius funus se compararent. Cum tamen XV aetatis annum attigisset, quamvis nondum omnino validus etiam quoad vires corporales is erat, ut in Societatem admitti potuerit, die 22 decembris 1852. A perturbationibus politicis anni 1860, cum omnibus fere sodalibus patria pulsus, Romae R. P. Petrum Beckx convenit, cui desiderium suum de Missionibus aperuit, ab eoque in Belgium ad studia theologica missus, ibi anno 1862 sacris initiatus est.

Accidit ut per eos dies R. P. Beckx ex Montibus Saxosis litteras acciperet Missionarios postulantes; itaque P. Cataldo futurum apostolum ad eas regiones destinavit: prius tamen Bostoniae (Boston), quae Americae Athenae habetur, studia theologica absolveret: ergo Americam contendit.

Sed valetudo, propter quam iam Scholasticus a medicis conclamatus fuerat, adversa manebat: immo medici brevissimam vitam ei divinabant quippe qui de eorum sententia consumptus phtysi videretur. Itaque post sex menses caelum urbis Sancti Francisci in California — italico conformius — temptavit. Ibi et studia absolvit et Nostros philosophiam docuit. Tunc fuit etiam, qui ei diceret vitam ipsi fore longiorem, si California relicta, inter Montes Saxosos cum Indiis per silvas per prata cursitans et equitans vitam traduceret; atque hic, ipso Patre iam sene testante, propheta fuit. Quapropter, medicis licet repugnantibus, consentientibus vero R. P. Generali ac Missionis Superiore (1) in Montes Saxosos, ad Missiones, anno 1865, profectus est.

(1) Erat tunc Superior Missionis Californiae P. Nicolaus Congiato; Superior vero Missionis Montium Saxosorum P. Iosephus Giorda; uterque e Prov. Taurinensi, cui utraque Missio concredita erat.

Longum iter et perquam molestum, in quo tamen — quod simile prodigio dixeris — Pater melius se habuit. Equitans pertransivit prata Spokanensia eosque incolas videns in Christo praedilexit; tandem ad stationem S. Petri inter *Pedes Nigros*, totius Missionis principem, pervenit. Illico linguae perdiscendae se addixit, tantumque in ea profecit ut post paucos menses Superiores reditum concesserint inter Indios « Spokane ». Huc venit prius cum celeberrimo P. Paschali Tosi, Missionis Alaskanae primus Superior deim futurus, mox solus. Tugurium ligneum primo sibi extruxit in eoque, die 2 februarii 1867, centum primos Spokanenses baptismatis aquis tinxit.

Atque hae primitiae: secutae sunt deinde Missionum sibi succedentium series: longum est de singulis dicere: eminet ea quam ad Indios qui morabantur « Lapwai » erexit.

Eo missus, anno 1867 exeunte, non tantum ut novum populum ad Christum adduceret, sed ut eorum quoque animis occurreret « Lewiston » (Idaho) auro effodiendo operam dabant. Inter hos multi praedones; inter illos iam praevenerant protestantes: utrumque ergo negotium salebrosum. P. Cataldo primum « Lewiston » aedem sacram erexit: deinde « Lapwai » progressus, solos pueros dociles habuit et post tres annos locum deseruit. Pueri talem discessum dolentes, parentes de eo incusabant, eosque christianas preces docebant, tantumque fecerunt ut illos Patrem revocare cogerent. Igitur post duos annos (1872) reversus, repressis protestantibus, quorum unum ministrum catholicum fecit, alterum contribuentem redddidit, cum iam 200 fideles haberet, sacellum ac stationem fundavit: atque haec initia hodiernae Residentiae S. Ioseph « Slickpoo » in valle Assinima.

Accidit autem ut bellum oriretur inter Indios et publicum regimen, quae res annum 1877 famosum effecit: ubique metus, ubique trepidatio: P. Cataldo utrimque cursitans, pacis sequester, omnibus acceptus, nulla alia re religioni magis profuit ac protestantium calumnias refutavit. « Date mihi Cataldum vel Missionarium eius similem — dicebat in aula Status dux quidam exercitus — cum eoque vel infensissimas tribus penetrabo solus ».

Rebus compositis, propter eius virtutem, prudentiam et in rebus agendis dexteritatem, anno 1877, totius Missionis Superior factus est, suamque sedem « Spokane Falls » constituit.

Merito huius urbis « pater » habetur. Eius initia contra mercatores aliam urbem ei opponentes tutatus est: vastum territo-

rium emit: primam paroeciam fundavit: scholam aperuit: Collegium « Gonzaga » instituit quod anno 1912 ad gradum Universitatis evectum est. Interim Sorores veniebant quae scholam et nosocomium et academiam et orphanotrophium, ipso auctore, condebant. Partem etiam soli, iuxta flumen, ad ferream viam sternendam gratis dedit.

Non minor interea, imo fortasse maior pro Missionibus inter Indios sollicitudo. A publico regimine facultatem generalem obtinuit ad condendas scholas et quaecumque beneficientiae opera introducenda. Hinc Missiones S. Pauli, S. Francisci Xaverii, S. Ignatii, S. Francisci Regis, S. Andreae vel principia vel incrementa, vel adiumenta et praesidia ab eo acceperunt. Super haec autem omnia a RR. DD. Seghers, Missionem Alaskanam, veluti hereditatem, in Societatem recepit et tirocinium eidem Societati constituit in « De Smet » (Idaho). Illuc PP. Tosi et Robant ab eo missi sunt.

Hi perfunctus laboribus, Missionariorum numero triplicato, rebus omnibus auctis, post 16 annos praefecturam deposuit (1893). Ad Missionem S. Francisci Xaverii destinatus, ut comperit se eius linguae ignarum, 56 annos natus, ipsam didicit. Aetatis anno 60, Visitator Alaskam contendit eamque totam 16 mensibus lustrat. Inde regressus in Missionibus vitam operosam ducit: sed iterum gregarius Alaskam petit, eamque triennio (1901-1903) novis laboribus, quos lingua, caelum, gens, ratio nova inferebant, senex licet, excolit. Ibi quinquagesimum Societatis annum celebravit, quo tempore auri inquisitores aureo eum numismate donarunt. Inde revocatus, iam septuagenarius, factus est Italorum parochus ad Sancti Ioseph (*San José*) in California. Minores stationes quas hinc inde, iuvenili semper ardore ac mira obedientia confecit, praeterimus, ut in Statione S. Ioseph « Slickpoo » consistamus.

Hic devexam aetatem, semper operans, transegit: hic etiam Deus tentavit eum. Nam bis incendium scholas consumpsit (et secunda vice quattuor etiam infantes), bis Pater eas refecit: quodam die male cecidit ac brachium et crus confregit: res non insolita, nam alias bis crus fregerat inter Indios ex caritate cursitans: ab utroque tamen vulnere convaluit, sed in posterum baculis utrinque suppotis vita ei sustinenda fuit. De Sororibus etiam S. Ioseph « Slickpoo » summe benemeritus eas abunde et vocationibus et tirocinio locupletavit.

Iamque grandaevus XC aetatis annum confecerat Religionis

vero LXXV: eventum utrumque promeritis festivitatibus per annos 1927-28 celebratum est. Primi eas inchoarunt Indii in aede S. Ioseph «Slickpoo». Fuit vere plebiscitum: venerabundi, ex dissitis regionibus, peregrini venerant ut eum cernerent et audirent quem mox novem suis linguis loquentem audituri erant: inter eos quattuor erant ipso seniores, unus etiam aderant supra centenarius.

Sed urbes «Lewiston et Spokane», ut gratus animus requirebat, in honorando sene certarunt inter se. Pater, licet invitus, praesens erat. Lewiston festum egit die 20 februarii 1928. Vicarius Generalis et dioecesis administrator Societatem eiusque filium longa oratione latina — quam infra referimus (1) — extulit: etiam non catholici ex corde Patrem quoque suum celebrarunt.

Verum Spokanenses longe alios superarunt. Festa a die 13 martii ad 19 (festum S. Ioseph) decurrerunt. Orationes habuerunt Aulae Commercii Praesides, urbis Syndicus, Universitatis «Gonsagae» Rector P. Daniel I. Reidy (Prov. Calif.), urbis Episcopus RR. DD. Carolus White, et RR. DD. Mathias Clemens Lenihan, Episcopus Great-Ormensis (Great-Falls). Ritu religioso persoluto Antistes Spokanensis e suggestu nuntium telegraphicum Sanctitatis Suae Pii XI legit, simulque duorum S. R. E. Cardinalium Bostoniensis ac Neo-Eboracensis: nec non Patris Nostri.

Omnium animos etiam perculsit gratulatorius nuntius quem miserunt — quisque suum — ipse Statuum Foederatorum Reipublicae Celsissimus Praeses C. Coolidge, eiusdem Reipublicae belli summus Minister, urbis Neo-Eboraci Illustrissimus Gubernator A. Smith aliique primae notae viri: ex quibus quaedam verba, utpote insolita et in huiusmodi hominibus pro religione rara infra referemus (2), Patri vero carius certe accidit 250.000 dollariorum oblatio pro iuvenibus indigentibus Universitatis «Gonzaga»: hoc gratius illi quam urbs erigenda ipsi — publicum testimonium — ex nomine «Cataldo»: at monumentum eius, opera eius; nam hic apostolus dictus est «Christianismi centrum in *Ovest* (Americae Septemtr.), cuius nomen «Historia Christianismi regionis illius litteris aureis consignabit». Haec publice ac propalam dicta facta, statuta sunt.

Per idem tempus Protestantes quoque Patris caritatem erga

(1) V. infra, pag. 394.
(2) V. infra, pag. 396.

se laudarunt. Rev. Cross, antistes episcopalianus, postquam suorum gratum animum aperuit, Patrem indicavit tanquam: « Verum Missionariorum typum qui, in se ipso propter proximos prodigendo, personas non respiceret, sed in eis Christi tantum imaginem ».

Notum est ne ipsos quidem Franco-murarios a caritate P. Cataldo alienos fuisse. Vagata est per ephemerides narratio de quodam ex illis a certa morte (maximo et pari sui periculo) per Patrem erepto.

Ille idem gratus lampadem postea emit quae hodiedum coram Sanctissimo in SS. Cordis statione Desmetensi conspicitur.

Interea Deus praemia maiora et digniora parabat in caelo. Pauci dies ab his effluxerant ac Pater ad remotam (200 millia passuum) Stationem S. Andreae pro ministerio paschali iverat, cum ecce in ipso Paschatis festo viribus sensit se destitui. Ductus in nosocomium ad « Pendleton », vires et cor magis ac magis deficiebant: adstabant P. Ioannes Corbett Residentiae (Prov. Calif.) Superior, illius P. Kennal O. S. F. et Sorores. Sacramentis munitus, die sequenti (9 aprilis 1928) placido exitu vitam laboribus et caritati semper impensam clausit. Corpus ad S. Andreae triduo expositum Indii confluentes venerati sunt: deinde Spokane deductum, tota urbs — summi et imi — ei parentarunt: sed Indii supra omnes et maxime « patrem suum » comploraverunt. Episcopus « Fundatori Ecclesiae Spokanensis » orationem funebrem ac iusta persolvit: RR. DD. Eduardus D. Howard, Archiepiscopus Portlandensis, absolutionem supremam tumulo impertivit. Corpus elatum et conditum est in Societatis coemeterio ad « Mount St. Michael's ».

Statuum Foederatorum ephemerides vix non omnes, dicit « Osservatore Romano » vel in iubilaeo gestierunt, vel in morte doluerunt. Placet diarii « Spokesman Review » (1) omnium forsitan in Statu Washington diffusissimi, sententias referre, cumque his concludere:

« Quamdiu historia perduraverit, in suis paginis nomen « Cataldo » impressum referet. Fuit hic historiae effector: sublimis repertor: felix in perturbatis rebus pacis conciliator: humanitatis fautor ad exemplum. Vitae ipsius cursus, cursus splendidus: et nihilominus vita eadem, laboris et perfecti amoris sacrificium

(1) Num. diei 14 apr. 1928.

completum evasit: nulla unquam proprii commodi vel lucri labe infecta. Eius bene merita tot sunt ut volumen repleant. Unicum illudque potentissimum principium vitam ipsius animabat; erat autem: «Christi regnum in terra promovere!».

Sed eloquentiora de P. Cataldo dixit P. Iosephus Bruckert, Lewistonensis Residentiae Superior, qui die 10 ianuarii 1929 ad Patrem Nostrum referebat eius sanctitatis famam talem esse, ut plures affirment se eo intercessore usos esse nec frustra, atque in tota paroecia post eius mortem maiorem affectum erga religionem haberi iamque viginti ad catholicam fidem conversos esse.

Testimonia quaedam gratulatoria Patri Iosepho Cataldo

OCCASIONE EIUS SEPTUAGESIMI QUINTI
VITAE RELIGIOSAE ANNIVERSARII EXHIBITA.

I. — *Oratio latina Lewistonii habita die 20 febr. 1928 a Rev.mo Dom. Remigio S. Keyzer, Xylopolitanae (Boise City) Dioeceseos Administratore.*

« Absoluta iam oratione ad populum christianum, vestra quaeso sit mihi venia quaedam faciendi verba *lingua latina* in laudem egregii istius viri, qui dum vobis per multos annos in Societate Iesu exstitit frater, mihi non minoris temporis spatio amicissimus est.

« Sed ne cui vestrum mirum videatur me in conventu publico, in concursu, inquam, tantorum sermonis latini alienorum uti lingua Tulliana, haec sit vobis explicatio: quod in rebus singularibus celebrandis singulari uti genere dicendi nullatenus dedeceat.

« Praeterea tanta est mea erga illustrissimam Societatem Iesu benevolentia, talis mea istius dignissimi viri admiratio, ut ad maius eius gaudium et, ut spero, in tantae solemnitatis incrementum psalterio iucundo quamvis inusitato paulo maiora canere ausus sim.

« Nam qui per septuaginta annos et quinque iuxta normam Sancti Ignatii vitam tam praeclaram quam utilem peregerit, dignus profecto est omni modo et ab omnibus accipere laudes atque honores.

« In officio communi confessoris non pontificis optimo iure laude dignus praedicatur, qui in vita sua fidelis servus et prudens exstiterit quemque Deus super familiam constituerit. Quam eximiam laudem mihi videris meruisse, dilecte in Christo Pater Cataldo, quippe qui in diversis muneribus ad quae temporis decursu designatus fuisti eodem semper fidelitatis atque prudentiae ornatu in servitute Iesu Christi sis inventus. Sive in regionibus longinquis aut in civitatibus, tunc comes aut alterius sub regimine, in luce, dicam, quam in tenebris ita te semper tractasti, ut tui oblitus, constanter et prudenter ad maio-

rem Dei gloriam, ad aedificandam Ecclesiam sanctam Dei, ad Societatem Iesu corroborandam et illustrandam semper et ubique adlaboraveris.

« Huius laboris monumentum non mutum aere perenne in cordibus multorum tibi collocasti. Super hoc cum fratribus tuis gaudeo et semper gaudebo. Inimici sunt crucis Christi et a veritate aversi, quos sive verbis sive scriptis Societatem Iesu proscribere non pigeat calumniisque persequi. Revera bene de suo Ordine religioso prophetavit Sanctus Pater Ignatius, cum eodem modo ac Doctor semper egregius Paulus, omnibus qui pie in hac saeculo vivere vellent multa propter Christum patienda declaraverit. Verumtamen crescente calumniatorum numero, frequentiores vestri instituti nostrae admirationes sunt.

« Nuper aliquis per viginti annos vester socius Societatem vestram deseruit; qui disciplinam Ignatianam non bene edoctus librum tamen de vestra vitae ratione edidit quem inscripserat: « Aenigma Iesuiticum » (1).

« Huius libelli obiectiones contritas ac obsoletas refutare meum non est. De cetero refutatione non egent. Libet tamen aenigma enodare. Nam sicut aenigma suis contemporaneis exstitit dilectus Christi Praecursor dum clamitaret: « Illum oportet crescere me autem minui », sicut sanctus Apostolus Paulus qui noluit gloriari nisi in cruce Domini Nostri Iesu Christi, verum aenigma se exhibuit dum selegit omnium esse peripsema, aut sicuti sapientia Dei stultitia semper fuit huic mundo; sic qui doctore Sancto Ignatio contra se agere didicerit ut iam non amplius sit sui, sed Eius cui se crediderit, superbiae, humanae et stultitiae mundi obscurum semper aenigma exstabit, humilibus autem in schola Christi discipulis veritatis luce circumfusus atque lucidus.

« Huius luminis claritate quantopere replendeat Societas Iesu de novo declaravit Summus Pontifex, Pius Papa Undecimus cum in sua allocutione ad eminentissimum Cardinalium collegium in consistorio ultimo sequentia protulit verba: « Eminentissimus ille vir, Ludovicus Billot, purpura se abdicavit, ut unde ad vos venerat, illuc rediret ad colendam vitam religiosam in gloriosam et de Ecclesia sancta Dei bene meritam Societatem Iesu » (2). Haec sit tanti Patris non exigua laus vestra, Dilectissimi. Hoc sit vobis contra venenata calumniatorum iacula scutum atque munimen.

« Tandem, amicissime Pater, sin tibi in tanta provecta aetate et post tot exantlatos labores vix consuetos « ad multos annos » addicere possimus, hoc tamen sit votum nostrum: Sint gratia caelesti abundantes quotquot te manent dies quatenus cui iam multi praeteriti meritis sunt pleni accessione fiant pleniores. Amen ».

(1) Innuitur infelix quidam ex-Iesuita hibernus, qui librum scripsit: " *The Jesuit Enigma* ".

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pag. 640.

II. — *Celsissimi Statuum Foederatorum Praesidis C. Coolidge nuntius gratulatorius telegraphicus* (18 martii 1928):

« Summe mihi gratulor quod aliquo modo possim iis me coniungere qui istic, occasione Iubilaei tui, cum honore te saepiunt. Non mihi ignota sunt officia tua in Rempublicam praestantia propter civilem cultum in partem « Nord-Ovest » inductum: praecipue vero nota est pars per te assumpta ac feliciter expedita a. 1877, in pace concilianda inter agrestes Indios et cultos homines, per eam utrinque clades deprecans. Solum hoc facinus, ut alia taceam, totius nostrae gentis elogia meretur. Perquam sinceras gratulationes ergo accipias, ac prosperae et diuturnae vitae omina ».

III. — *Eiusdem Reipublicae belli Minister, Ill. Dwight Davis, similem nuntium eodem die his verbis mittebat*:

« Rev. Iosepho Cataldo in suo iubilaeo gratulationes et fervida vota ex Belli Ministerio. Hoc Ministerium festorum est particeps ex officio: nam Cataldus olim validum auxilium summis ducibus Howard et Wheaton praestitit, delicatum onus assumens, ac se inter agrestes et cultos homines belligerantes pacis sequestrem constituens. Vita eius omnis gestorum series fuit, omni lucro privato posthabito; tota in humanitatis bonum impensa est. Foederatorum Statuum omnis exercitus, regionibus occidentalibus iunctus, valenti Missionario in suo iubilaeo obsequia vivida una tribuit ».

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

A DIE 1 DECEMBRIS 1927 AD DIEM 31 DECEMBRIS 1928.

Ephemerides Curiae (1).

Primis hisce mensibus nostrae commorationis in hac nova Curiae domo frequentiores venerunt illustres Viri Patrem Nostrum invisuri, cum eoque plerumque domum totam perlustrarunt. Cum autem has visitationes singillatim deinceps indicare longum sit, liceat hic simul et semel clarissimos quosdam visitatores usque ad mensem maium 1928 enumerare, addito die quo quisque venit:

Em. Card. Michael de Faulhaber, Monacensis et Frisingensis Archiepiscopus (*5 dec. 1927*); Excell.mus Bar. Ludovicus von Pastor (*21 dec.*); Em. Card. Augustus Hlond, e Congr. Sales. Ven. Bosco, Gnesnensis ac Posnaniensis Archiepiscopus et Poloniae Primas (*31 dec.*); Celsissimus Hungariae Archidux Albertus (*12 ian. 1928*); Excell.mus Urbis Gubernator, Princeps Ludovicus Potenziani Spada (*26 ian.*); Excell.mus Ladislaus Skrzynski, Poloniae Legatus apud Sanctam Sedem (*6 febr.*); Urbis Vicegubernator, Comes Carolus D'Ancora (*17 febr.*); Em. Card. Ludovicus Ernestus Dubois, Parisiensium Archiepiscopus (*21 febr.*); Em. Card. Georgius G. Mundelein, Chicagiensis Archiepiscopus (*16 mart.*); Rev.mus P. Bonaventura Paredes, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum (*24 maii*); Em. Card. Alexander Kakowski, Varsaviensis Archiepiscopus (*31 maii*); aliique complures (2), praesertim Cardinales Romae residentes, Nuntii Apostolici, Archiepiscopi etc.

5 ian. 1928. — Domum redit P. Iosephus Demaux - Lagrange, Societatis Secretarius, die *20 dec. 1927* in Galliam missus (3).

8 ian. — Omnes Pontificiae Universitatis Gregoriane Professores Nostri, a Patre Nostro ad novam Curiae domum invisendam invitati, hodie adsunt et ab eo comiter admodum excipiuntur. — Idem praestitit Pater Noster erga Scholasticos Nostros eiusdem Pontificiae Universitatis Gregorianae die *12 ian.* et erga Novitios Provinciae Romanae die *24 maii.*

16 ian. — Patri Nostro datur tessera honoraria perpetua ad Museum Missionarium Lateranense libere invisendum.

25 ian. — P. Petrus Boetto, Procurator Generalis, qui adhuc in Collegio Germanico manserat (4), hodie in novam Curiae domum cum

(1) V. etiam supra, pp. 194-195.

(2) V. supra, pp. 119 sq.

(3) V. supra, pag. 195 (20 dec.).

(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pag. 700. — V. etiam hic supra, pag. 118.

suo Socio Coadiutore Fr. Eugenio Otrębski se transfert et nobiscum degere incipit.

2 febr. 1928. — In templo SS. Nominis Iesu ad altare S. P. Ignatii ultima vota duodecim Patrum e variis Provinciis Pater Noster excipit, inter quos aderat e Curia P. Emmanuel Alonso (1).

2 - 11 febr. — Mandante Patre Nostro (2), peculiares preces in communi habentur in honorem B. M. V. Immaculatae de Lourdes ad divinam opem ob gravia negotia et occurrentes Societatis necessitates impensius implorandam.

11 febr. — Imago B. M. V. a Strata praecipuum nostrae novae domus frontem externum ab hoc die perbelle ornat (3).

3 mart. — P. Henricus van Offeren (Prov. Neerl.), Oeconomi Generalis Adiutor designatus, hodie advenit et in Curiam cooptatur.

18 mart. - 15 maii. — P. Iosephus Boubée, Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus, chirurgicam incisionem subiturus (*11 apr.*) in nosocomio degere cogitur, unde die *15 maii* ad valetudinem plenius citiusque recuperandam in Galliam proficiscitur. — Interea eius vices gerit P. Gulielmus Kea.

11 apr. — P. Gabriel Huarte (Prov. Castell.), Revisor generalis librorum, ad Pontificiam Universitatem Gregorianam se transfert, ubi Rectoris vices geret, quamdiu Rector P. Iosephus Gianfranceschi, expeditionis ad Polum Borealem Cappellanus renuntiatus (4), ab Urbe aberit.

14 apr. — P. Albertus Boegle, Secretariatus Congregationum Marianarum Praeses, qui, valetudinis recuperandae causa, in sua Provincia Austriae versabatur (5), hodie in Urbem redit.

1 maii. — Sacrorum Rituum Congregatio *antepraeparatoria* de miraculis Ven. P. Claudii de la Colombière, cum in aedibus Emi. Card. Alexandri Verde Causae Relatoris (ut deberet) variis de causis cogi nequeat, hic domi nostrae habetur, eodem Eminentissimo Cardinali praeside et adstantibus Sacrae Congregationis Praelatis Officialibus ac Consultoribus.

9 - 13 maii. — R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, a Patre Nostro delegatus, annuam Nostrorum communitatis visitationem in Pontificio Instituto Orientali peragit.

14 maii. — P. Aurelianus Fajella, Postulator generalis causarum NN. BB. et VV., qui huc usque in Domo Biennistarum apud templum SS. Nominis Iesu degebat, huc venit, in Curia deinceps habitaturus.

26 maii - 6 oct. — P. Henricus Dubois, e Secretariatu pro Missionibus, in Galliam aliasque regiones proficiscitur de nostris Missionibus et praesertim de Missionibus Africanis, qua voce qua scripto,

(1) Cfr. supra, pag. 193 (5 *nov.*).
(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 65 sq.
(3) V. supra, pag. 114.
(4) V. supra, pag. 120.
(5) V. supra, pag. 50 (5 *apr.*).

variis in locis acturus. — Die autem *27 nov.* iterum proficiscitur qua Delegatus Conferentiae Romanae Missionum Africanarum Catholicarum apud sextum Instituti internationalis Londinensis de studiis Africanis (1) conventum, Berolini in Germaniae urbe principe habendum, indeque per varios Scholasticatus et Seminaria de Missionibus disserens pertransit, nonnisi *16 febr. 1929* reversurus.

28 maii - 7 aug. 1928. — R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, in Galliam mittitur, personam Patris Nostri ad festa centenaria Collegii Valsensis (Prov. Tolos.) acturus (2): die quidem *22 iun.* est Romam reversus, sed mox die *26 iun.* rursus in Galliam ab alia negotia profectus est nonnisi die *7 aug.* reversurus.

3 - 14 iun. — P. Aurelianus Fajella, Postulator generalis causarum NN. BB. et VV., qui iam pridem ex hepate et renibus laborare coeperat, cum in dies debilior fiat, ad reficiendas vires Neapolim cum P. Mario Ciárriz mittitur; sed post undecim dies revertitur, nulla convalescendi spe a medicis de illo relicta, quin tamen de natura morbi clare quid decernere audeant.

4 - 11 iun. — R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens, annuam Collegii Scriptorum ephemeridis « Civiltà Cattolica » visitationem, a Patre Nostro delegatus, peragit.

9 iun. — P. Albertus Boegle, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum, cum ob adversam valetudinem romano caelo assuefieri nequeat, munere deposito, in suam Austriae Provinciam, dolentibus omnibus, remitti debuit. Praesidis vices interim aget eius Adiutor P. Laurentius O' Keeffe; sed latinam editionem ephemeridis « Acies Ordinata » usque ad novi Secretariatus Praesidis nominationem etiam ipse P. Boegle adhuc curabit.

14 iun. — Pater Noster hodie vespere, in pervigilio SS. Cordis Iesu, Eminentissimo Cardinali Caietano Bisleti, Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus Praefecto, quinquagesimum sacerdotii anniversarium mox acturo, communicationem bonorum spiritualium Societatis, ob eius insignem in nostrum Ordinem benevolentiam, defert, diplomate perbelle depicto ei relicto: quod quidem Eminentissimus Dominus gratissimus excepit.

2 iul. — R. P. Petrus Boetto, Praepositus Provinciae Romanae renuntiatus, etsi Procuratoris Generalis munus non deponat, nostram domum relinquit, in Domo B. Bellarmini apud templum SS. Nominis Iesu deinceps habitaturus: hic, qua Procurator Generalis, Adiutorem habebit P. Carolum Miccinelli (Prov. Rom.), qui etiam P. Aureliani Fajella, Postulatoris generalis, graviter aegrotantis, vices geret, quique die *8 iul.* ad nos venit et Curiae est adnumeratus (3).

10 iul. — In villam Tusculanam « Rufinella » nuncupatam ante consuetum tempus abimus: domi enim, ob novae aedium partis cum priore quam inhabitamus coniunctionem perficiendam, nimias operariorum rumorumque molestiis vexaremur et impediremur; ordinariis

(1) Alias dicemus quid sit hoc Institutum et quid pro Missionibus agat.
(2) V. supra, pp. 217, 375–376.
(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 78.

tamen occupationibus etiam ruri indulgemus. — Romae, praeter Patres Fratresque qui aediliciis operibus invigilant, alii quoque nonnulli variis de causis manent, inter quos Pater Fajella graviter aegrotans et ii qui de eo curam habent. — Pater Noster post aliquot dies Tusculum venit, sed inde Romam ire redire ob negotia saepius cogitur. — Mensibus augusto et septembri nonnulli Patres (pauci ii quidem) Exercitiis tradendis aliquot dies e Curia abesse permittuntur, quos singulatim recensere non vacat.

12 iul. 1928. — P. Aurelianus Fajella, gravissima nephritide laborans, Romae ultimis morientium Sacramentis munitur; — et die *21 iul.*, cum aedilicii operis rumores domi ferre non possit, in nosocomium « Quisisana » nuncupatum transfertur, ubi a Nostris saepius invisitur et continenter assistitur.

19 iul. - 3 oct. — P. Henricus van Offeren, Oeconomi Generalis Adiutor, ob quaedam negotia in Galliam, Belgium, Hollandiam mittitur, ineunte octobri reversurus.

20 iul. - 12 sept. — P. Hermannus Haeck, Adiutor Secretarii pro Missionibus, internationalem preli et culturae Expositionem Coloniae Agrippinae invisit et hebdomadae missionariae Lovaniensi interest (1).

25 - 26 iul. — Pater Noster cum Oeconomo Generali et P. Petro Basterra Neapolim cuiusdam negotii causa petit, Romam postridie reversurus.

27 iul. - 16 sept. — P. Petrus Basterra, Consultor aedilicius, in Hispania duos fere menses versatur, de variis novis aedificiis nostris, rogantibus Provincialibus, curaturus.

1 aug. - 8 sept. — P. Gabriel Huarte, Vice Rectoris Pont. Universitatis Gregorianae, ob reditum P. Rectoris, munere defunctus (2), in Hispaniam proficiscitur; indeque ineunte mense septembri reversus, die *8 sept.* Rector Pont. Collegii Pii Latini Americani renuntiatur, titulo tamen et officio Revisoris generalis minime deposito.

2 aug. — Romae, in nosocomio « Quisisana » nuncupato, P. Aurelianus Fajella (Prov. Neap.), Postulator generalis causarum NN. BB. et VV., paulo ante mediam noctem pie in Domino obiit, aetatis anno 52, Societatis 36, a suscepto Postulatoris munere 6 vix inchoato.

4 aug. — Carissimo defuncto, multis quoque e villa Tusculana ad id Romam petentibus, hodie Romae parentatum est.

4 aug. — Nuntiatur mors P. Camilli Beccari (Prov. Rom.), qui viginti annos eoque amplius munere Postulatoris generalis ante Patrem Fajella functus erat, quique Romae in Residentia apud templum SS. Nominis Iesu hodie summo mane pie obdormivit in Domino, aetatis anno 80, Societatis 64.

11 aug. - 7 sept. — R. P. Aemilius Mattern, Americae Assistens, ad reficiendas vires in Gallia versatur.

29 aug. — P. Carolus Miccinelli novus Postulator generalis causarum NN. BB. et VV. renuntiatur (3).

(1) V. supra, pag. 216.
(2) V. supra, pag. 398 (*11 apr.*).
(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 80. — Cfr. supra, pag. 399 (*2 iul.*).

8 sept. 1928. — Cum P. Iosephus Boubée ob adversam valetudinem munus Directoris generalis delegati Apostolatus Orationis commode sustinere iam non valeat (1), ab eo officio exoneratur eique sufficitur P. Gulielmus Kea, hactenus eius Adiutor (2), qui his ipsis diebus, novi muneris sui causa, Germaniam et Hollandiam petit, die *27 oct.* reversurus.

9 sept. — R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens et nostrae domus Vicesuperior, in Siciliam ad reficiendas vires mittitur, die *15 oct.* reversurus. Eius, qua domus Vicesuperioris, vices gerit R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens.

16 sept. — Illustrissimus ac Reverendissimus Dnus. Carolus Salotti, Promotor generalis fidei, una cum Rmo. D. Iosepho Beltrami, causae beatificationis Martyrum Angliae Advocati munere fungente, hodie apud nos in villa Tusculana diversatur.

19 - 26 sept. — Exercitia Spiritualia peragimus.

27 sept. — Romam advenit et Curiae adnumeratur P. Camillus Crivelli (Prov. Mexic.), alter Secretarii Substitutus pro Assistentia Hispaniae designatus, loco P. Ioannis M. Restrepo (Prov. Columb.), qui in Pontificiam Universitatem Gregorianam, institutiones Iuris Canonici docturus, die *11 oct.* migrabit.

29 sept. — Tusculo Romam redimus.

29 sept. — Romam advenit et Curiae adnumeratur P. Antonius Dragon (Prov. Can. Inf.), novus Secretarii pro Assistentia Angliae renuntiatus: nam P. Ioannes Coyne, Rector Collegii Dublinensis S. Francisci Xaverii mox futurus, in suam Hiberniae Provinciam die *10 oct.* redibit.

11 oct. — Pater Noster cum Fratre Socio Neapolim petit, die *24 oct.* Romam rediturus.

30 oct. — Fr. Coad. Vincentius Del Vecchio, olim infirmarius et nunc ab anno eoque amplius variis valetudinis incommodis laborans, dum hodierno festo S. Alfonsi Rodriguez mensae assidet, gravissimo morbo attactus et in cubiculum delatus, ultimis Sacramentis munitur: sequenti die tamen paulatim reviviscere coepit.

31 oct. — P. Emmanuel Alonso (Prov. Legion.), qui in Curia Scriptor degebat (3), Lector theologiae dogmaticae in Pont. Collegio Anagnino (Prov. Rom.) renuntiatus, hodie hinc discedit Anagniam petiturus.

2 nov. — P. Cornelius Byrne (Prov. Calif.), novus Adiutor Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum et Redactor editionis anglicae ephemeridis « Acies Ordinata » designatus, Romam advenit et Curiae adiungitur: nam P. Laurentius O' Keeffe, Socius Praepositi suae Californiae Provinciae mox futurus, Americam versus die *7 dec.* hinc discedet.

6 nov. — P. Silvio Fabbri (Prov. Rom.), Revisori generali libro-

(1) Cfr. supra, pag. 398 (*18 mart.*).

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 81. — Cfr. supra, pag. 398 (*18 mart.*).

(3) V. supra, pag. 193 (*5 nov.*).

rum, ob quinquagesimum ab inita Societate annum nuper expletum, fraterna cum laetitia gratulamur.

15 dec. 1928. — Secundum promissionem Patris Nostri (1), ob miram Sancti Ioseph in novam hanc nostram domum toties ostensam protectionem, hodie beatissimi Deiparae Sponsi marmoream statuam in horto erectam primum venerati sumus.

17 dec. — Pater Noster ob gravia negotia in Galliam indeque in Hispaniam proficitur, ibique ad finem usque mensis *ianuarii 1929* manet; comites habuit P. Camillum Crivelli et Fr. Aemilium Herrero. Per id tempus Vicarius Generalis constitutus est R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens (2). — Sed de toto hoc Patris Nostri itinere peculiarem relationem supra dedimus (3).

Hospites Nostri.

Domi nostrae hospitio excepti sunt:

28 dec. 1927 - 5 ian. 1928. — P. Ioannes Kramers (Prov. Neerl).

10 - 11 ian. 1928. — P. Caietanus de Raucourt (Prov. Franc.), in Missionem Nankinensem mox profecturus.

11 - 19 ian. — RR. DD. Ioannes Bapt. Della Pietra (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Chalcedonensis et Delegatus Apostolicus in Albania.

12 febr. - 8 mart. — R. P. Ioannes Filion, Praepositus Viceprovinciae Canadae Superioris.

21 febr. - 14 apr. — P. Gulielmus Mulder (Prov. Neerl.), in catholica Universitate Neomagensi (*Nijmegen*) historiae ecclesiasticae Lector.

29 febr. - 5 mart. — R. P. Iosephus Filograssi, Romanae Provinciae Praepositus.

5 mart. - 12 apr. — P. Cornelius Ligthart (Prov. Neerl).

3 - 16 apr. — P. Adalbertus Bangha (Prov. Hung.).

23 - 25 apr. — P. Iosephus M. Petazzi (Prov. Ven.), periodici « Le Missioni d. C. d. G. » Venetiis editi Moderator.

27 apr. - 1 maii. — P. Ioannes M. Barrella (Prov. Neap.), Rector Pontificii Seminarii Campani.

10 - 15 maii. — P. Fridericus Streicher (Prov. Germ. Sup.), Editor operum S. Petri Canisii.

10 - 19 maii. — R. P. Dominicus Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositus.

12 - 14 maii. — R. P. Petrus Grana, Praepositus Provinciae Venetae, cum Socio P. Iosepho Rosan.

16 - 30 maii. — P. Camillus Ancey (Prov. Lugdun.), iter in insulam Naxos paraturus, ubi bonorum ad Sanctam Sedem pertinen-

(1) V. supra, pag. 18.

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 102.

(3) V. supra, pp. 355-358.

tium atque ad Seminarium Athenis instituendum destinatorum administrationem ad tempus gerere debebit.

25 maii - 15 iun. 1928. — P. Iosephus Giovannini (Prov. Rom.).

31 maii - 16 iun. — P. Nazarius Faivre (Prov. Mexic.), Parisiis degens.

20 iun. - 9 iul. — R. P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.), Visitator Provinciae Lusitanae (1), de peracta visitatione Patri Nostro relaturus.

22 - 28 iun. — RR. DD. Stephanus Fourcadier (Prov. Tolos.), Episcopus tit. Hippo-Zarytensis nuper consecratus et novus Tananarivensis Vicarius Apostolicus (2).

6 - 16 iul. — RR. DD. Ioachimus Rodrigues Lima (Prov. Lusit.), Archiepiscopus electus Bombayensis (3).

9 - 11 iul. — R. P. Alfonsus M. Martin, Praepositus Provinciae Taurinensis.

22 - 23 iul. (ruri). — P. Petrus Vidal (Prov. Arag.), in Pont. Universitate Gregoriana Iuris canonici Lector; — itemque *4 - 7 sept.*

24 - 31 iul. — P. Vincentius A. McCormick (Prov. Maryl. - N. E.), Collegii Maximi Woodstockiensis Rector.

2 - 3 aug. (ruri). — R. P. Eduardus C. Phillips, suae Provinciae Marylandiae - Neo Eboracensis Praepositus mox nominandus (4).

4 - 12 aug. — RR. DD. Henricus Döring (Prov. Germ. Inf.), Archiepiscopus-Episcopus Poonensis (5).

4 - 15 sept. (ruri). — P. Carolus Massaruti (Prov. Rom.).

6 - 9 sept. — R. P. Antonius Revuelto, Baeticae Provinciae Praepositus.

18 - 23 sept. — P. Aloisius Navarro (Prov. Tolet.).

18 - 27 sept. (ruri). — P. Octavius Marchetti (Prov. Rom.), Residentiae Romanae ad SS. Nominis Iesu Superior, Exercitia Spiritualia nostris FF. Coadiutoribus traditurus.

18 - 27 sept. (ruri). — P. Augustus Anzuini (Prov. Rom.), Exercitia nobiscum peracturus.

21 - 24 sept. — P. Philippus de Régis (Prov. Lugdun.), in Missionem Orientalem (Prov. Polon. Maior. et Maz.) mox iturus atque etiam ad ritum orientalem transiturus.

24 - 25 sept. — R. P. Iaphet Stan. Jollain, Neapolitanae Provinciae Praepositus.

4 - 10 oct. — RR. DD. Henricus Döring (Prov. Germ. Inf.), Archiepiscopus - Episcopus Poonensis (6).

21 oct. — Excell.mus ac RR. DD. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Myrensis et Nuntius Apostolicus in Lettonia (7).

(1) V. supra, pag. 198.
(2) V. supra, pag. 220.
(3) V. supra, pag. 219.
(4) V. supra, pag. 216.
(5) V. supra, pag. 106.
(6) V. supra, pag. 403 (*4 aug.*).
7 V. supra, pag. 219.

24 - 31 oct. 1928. — RR. DD. Silvanus Van Hee (Prov. Belg.), Episcopus tit. Possalensis recens consecratus et primus Kwangensis Vicarius Apostolicus (1).

25 - 31 oct. — R. P. Dominicus Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositus.

17 - 19 nov. — P. Paschalis Giadri (Prov. Ven.), ex Missione Albaniensi.

19 nov. - 2 dec. — P. Iosephus W. Parsons (Prov. Maryl. - N. E.), Superior Domus Scriptorum Neo - Eboracensis et periodici « America » Moderator.

22 nov. - 8 dec. — RR. DD. Ioachimus Rodrigues Lima (Prov. Lusit.), Bombayensis Archiepiscopus, qui die *2 dec.* episcopalem consecrationem in templo SS. Nominis Iesu recipit (2).

27 nov. - 4 dec. — R. P. Franciscus Xaverius Thoyer, novus Provinciae Campaniae Praepositus.

29 nov. - 14 dec. — R. P. Petrus Willekens (Prov. Neerl.), Bataviensis Missionis Visitator (3), de peracta visitatione Patri Nostro relaturus.

30 nov. - 5 dec. — R. P. Franciscus Xaverius Biró, Praepositus Provinciae Hungariae.

8 dec. - 27 febr. 1929. — P. Iosephus De Ghellinck (Prov. Belg.), in Pontificia Universitate Gregoriana theologiae patristicae et patrologiae Lector.

17 dec. - 13 ian. 1929. — P. Gulielmus Mulder (Prov. Neerl) (4).

(1) V. supra, pag. 219.

(2) V. supra, pag. 219.

(3) V. supra, pag. 198.

(4) V. supra, pag. 402 (*21 febr.*).

Status Curiae Societatis Iesu

DIE 8 DECEMBRIS 1928.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

Borgo Santo Spirito, 5 - ROMA (113)
(*pro telegram.*: GISA - ROMA).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.*	Prov. Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Admon., Conf. dom.*	» Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Praef. valet., Conf. dom.*	» Franc.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.*	» Arag.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl., Conf. dom.*	» Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.*	» Neo-Aurel.
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc., Cons. dom. an.* 3	» Tolos.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen.* (interim: Piazza del Gesù, 45 - Roma 117)	» Taur.
P. Antonius M. Stravino, *Occon. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an.* 5	» Neap.
P. Renatus Fraeys, *Min., Proc., Praef. sac. dom., Cons. dom. an.* 2	» Belg.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. », Praef. lect. ad mens.*	» Ven.
P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.*	» Castell.
P. Battiston Aegidius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. FF. CC. per vic.* .	» Ven.
P. Byrne Cornelius, *Adiut. Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	» Calif.
P. Ciáurriz Marius, *Substit. 1 Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. FF. CC. per vic.*	» Castell.
P. Codina Arthurus, *Subdirect. et Script. oper. « Monumenta hist. S. I. », Parat edit. Constitut., Conf. dom.*	» Arag.

P. Coemans Augustus, *Parat edit. Instit. recogn., Conf. dom.*	»	Belg.
P. Corradi Fortunatus Steph., *Adiut. cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. »* . . .	»	Ven.
P. Crivelli Camillus, *Substit. 2 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Catech. et expl. med. FF. CC. per vic.*	»	Mexic.
P. Donnelly Thomas, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Amer.*	»	Chicag.
P. Dragon Antonius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Angl.*	»	Can. Inf.
P. Dubois Henricus, *Adiut. Secr. pro Mission., Script.*	»	Camp.
P. Elter Edmundus, *Adiut. Secr. Soc., Lect. eth. in Univ. Gregor.*	»	Pol. M. et Maz.
P. Fabbri Silvius, *Rev. gen. libr.* (Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126)	»	Rom.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.*	»	Belg.
P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission.* . . .	»	Can. Inf.
P. Haeck Hermannus, *Adiut. Secr. pro Mission., Expl. med. FF. CC. per vic.*	»	Belg.
P. Höss Antonius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Germ.*	»	Germ. Sup.
P. Huarte Gabriel, *Rev. gen. libr.* (Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126)	»	Castell.
P. Kea Gulielmus, *Dir. gen. deleg. Apost. Orat.*	»	Neerl.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Ignatius-College, Valkenburg, Neerlandia)* . . .	»	Germ. Sup.
P. Kratz Gulielmus, *Script.*	»	Germ. Inf.
P. Miccinelli Carolus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB., Adiut. Proc. Gen., Cons. dom. an.* 1	»	Rom.
P. van Offeren Henricus, *Adiut. Oecon. Gen.* .	»	Neerl.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr., Praes. coll. cas.*	»	Tolet.
P. Sautu Iulianus, *Parat regesta*	»	Castell.
P. Villaret Aemilius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Gall.*	»	Camp.
P. Wand Augustinus, *Praef. bibl., Cur. statist.*	»	Missour.
P. N. N., *Praes. Secretariat. Congr. Mar.* . .		

COADIUTORES

Amiano Felix, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt* .	Prov.	Castell.
Argemir Raymundus, *Soc. Subdirect. oper. « Monumenta hist. S. I. », Aman., Ad dom.* . .	»	Arag.
Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen. caus. NN. VV. et BB., Cust. Reliq., Pict., Ad dom.* .	»	Arag.

Baguñá Narcissus, *Soc. Secr. Soc., Aman., Ad dom.*	»	Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Excit., Vis. mat. et noct.*	»	Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. 1 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg etc.)*	»	Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom.*	»	Lugdun.
Del Vecchio Vincentius, *Cur. valet.*	»	Rom.
Frontero Iacobus, *Infirm., Adiut. sart.* . . .	»	Taur.
Gorostiza Franciscus, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Castell.
Hagemann Bernardus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Germ. Inf.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom.*	»	Legion.
Iragui Bonifacius, *Adiut. coq., Cell.*	»	Castell.
Kolecki Iosephus, *Cust. tricl., Fab. lign., Ad dom.*	»	Pol. M. et Maz.
Lampe Maximilianus, *Adiut. Min., Aman., Ad dom.*	»	Neerl.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. gen., Ad dom.* .	»	Tolet.
Miranda Iosephus, *Ad dom., Soc. exeunt.* . .	»	Legion.
Morant Iosephus, *Soc. Dir. gen. deleg. Apost. Orat., Aman., Ad dom.*	»	Arag.
Mulatti Angelus, *Cur. aedif. novae Curiae* . .	»	Ven.
Oteiza Esdras, *Aman., Comp. mss. et libr., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Castell.
Otrebski Eugenius, *Soc. Adiut. Proc. gen., Aman., Ad dom.*	»	Pol. Min.
Oyen Hermannus, *Soc. Secr. pro Mission., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Belg.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.*	»	Legion.
Przewlekly Franciscus, *Adiut. coq., Cust. pen.*	»	Pol. M. et Maz.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Excit.* . . .	»	Ven.
Sanmartín Theophilus, *Adiut. cust. vest. et lint., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Castell.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Chicag.
Tortosa Aloisius, *Ian., Ad dom.*	»	Arag.
Vögele Georgius, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg etc.)*	»	Germ. Sup.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.

Sac. 39. - Coad. 31. - Univ. 70.

II.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

2 iul. 1928. — R. P. Augustus Haouisée (Prov. Franc.), Rector Seminarii Zi-ka-wei apud Shanghai in Sinis (Miss. Nankin.), eligitur Episcopus tit. Cercinitanus et Coadiutor cum iure successionis RR. DD. Prosperi Paris S. I. (Prov. Franc.), Episcopi tit. Silandensis, Vicarii Apostolici Nankinensis (1). — Die *3 oct.*, in festo S. Teresiae a Iesu Infante, consecrationem episcopalem sollemniter recipit Zi-ka-wei (2).

8 ian. 1929. — R. P. Carolus Hilarius Currea (Prov. Columb.) a Sacra Congregatione de Propaganda Fide primus Praefectus Apostolicus Praefecturae Fluminis Magdalenae in Columbia nuper erectae renuntiatur (3).

18 ian. 1929. — R. P. Bernardus Sullivan (Prov. Missour.) Episcopus Patnensis in Indiis eligitur (4). — Die *17 mart.*, in ipsa sua ecclesia cathedrali, episcopalem consecrationem recipit a RR. DD. Eduardo Mooney, Delegato Apostolico in Indiis.

8 mart. 1929. — R. P. Ioachimus Vilallonga, Praepositus Provinciae Aragoniae, a Sacra Congregatione Consistoriali Visitator Apostolicus Insularum Philippinarum renuntiatur, qui mense maio exeunte, hanc visitationem incepturus, ex Hispania profectus est (5).

17 apr. 1929. — Emus. Card. Franciscus Ehrle S. I. (Prov. Germ. Sup.) Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarius et Archivista renuntiatur (6).

25 iun. 1929. — RR. DD. Paschalis Diaz S. I. (Prov. Mexic.), hactenus Episcopus Tabasquensis, ad metropolitanam sedem Mexicopolitanam evehitur (7).

Nominationes Superiorum Maiorum.

Administrationem suscipiunt:

26 iun. 1928. — R. P. Ioannes M. Salter, Praepositus Provinciae Neo Aurelianensis.

29 iun. — R. P. Antonius H. Carey, Missionis Belize in Honduras Britannico (Prov. Missour.) Superior regularis.

(1) *Acta Apost. Sedis* vol. XX (1928), pp. 259, 413.

(2) V. supra, pag. 220.

(3) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 162.

(4) *Acta Ap. Sedis*, vol. XXI (1929), pp. 162, 461.

(5) Absente Provinciali, Viceprovincialem agit R. P. Iosephus Mundó, Socius Provincialis.

(6) *Acta Ap. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 332.

(7) *Ibid.*, pp. 350, 461.

2 iul. 1928. — R. P. Petrus Boetto (Prov. Taur.), Praepositus Provinciae Romanae (1).

15 aug. — R. P. Ieremias I. O'Callaghan, primus novae Provinciae Chicagiensis Praepositus (2).

9 sept. — R. P. Carolus Hilarius Currea, novae Missionis Magdelenensis (Prov. Columb.) Superior regularis.

12 sept. — R. P. Eduardus C. Phillips, Praepositus Provinciae Marylandiae - Neo Eboracensis.

1 oct. — R. P. Franciscus Xaverius Thoyer, Provinciae Campaniae Praepositus.

1 nov. — R. P. Antonius Tissoni, Missionis Hwaisensis in Sinis (Prov. Taur.) Superior regularis.

2 nov. — R. P. Antonius Medina, Missionis Peruvianae (Prov. Tolet.) Superior regularis.

25 dec. — R. P. Methodius Ryák, primus novae Čechoslovachiae Provinciae Praepositus (3).

4 febr. 1929. — R. P. Franciscus Xaverius Froehly, primus novae Viceprovinciae dependentis Madurensis (Prov. Tolos.) Praepositus (4).

5 febr. — R. P. Iosephus Pereira Dias, Missionis Goanae (Prov. Lusit.) Superior regularis.

12 mart. — R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mexic.), Praepositus Viceprovinciae Brasiliae Centralis.

25 maii. — R. P. Anicetus Déniz, Missionis Bombayensis-Poonensis (Prov. Arag.) Vicesuperior regularis (5).

2 iun. — R. P. Aloisius Parola, Praepositus Provinciae Argentino-Chilensis.

7 iun. — R. P. Petrus I. Sontag, Missionis Patnensis (Prov. Missour.) Superior regularis.

10 iun. — R. P. Henricus Carvajal, Praepositus novae Viceprovinciae Cubanae a Provincia Legionensi dependentis (6).

15 iun. — R. P. Aloisius Ersin, Praepositus Provinciae Austriae.

3 iul. — R. P. Stephanus Machnicki, Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae Praepositus.

(1) V. supra, pag. 399 (*2 iul.*).

(2) Iam inde a die 1 nov. 1925 erat Viceprovincialis in Regione Ohiensi (Prov. Missour.), quae in novam Chicagiensem Provinciam nunc transiit.

(3) Iam inde a die 16 iulii 1925 erat Praepositus Viceprovinciae Čechoslovacae.

(4) Iam inde a die 25 mart. 1925 ipsam Missionem Trichinopolitanam seu Madurensem ut Superior regularis gubernabat. — V. etiam infra, pag. 411 (*4 febr.*).

(5) Ob mortem Superioris regularis, R. P. Aloisii Bertrán († 7 maii 1929).

(6) V. infra, pag. 411 (*10 iun.*).

24 iul. 1929. — R. P. Iulius Misson, Viceprovincialis pro regione meridionali Provinciae Belgicae (1).

31 iul. — R. P. Iosephus Manzo, Praepositus Provinciae Neapolitanae.

Novae Provinciae (2).

15 aug. 1928. — Decreto Patris Nostri die 2 iulii lato et hodie promulgato, Provincia Missouriana in duas Provincias dividitur, Missourianam et Chicagiensem nuncupandas (3).

25 dec. 1928. — Decreto Patris Nostri die 8 decembris lato et hodie promulgato, Viceprovincia Cechoslovaca ad veri nominis Provinciam evehitur, quae Provincia Cechoslovachiae deinceps nuncupabitur (4).

Mutationes in Provinciarum ac Missionum administratione.

25 febr. 1928. — Litteris Patris Nostri hodie datis, Seminarium Pontificium Kandyense in insula Ceylon a Missione Calcuttensi Provinciae Belgicae seiungitur et Missioni Gallensi eiusdem Belgicae Provinciae tribuitur (5).

28 mart. 1928. — Litteris Apostolicis « Aucto Pastorum numero » hodie datis, Praefectura Apostolica Kwangensis in Congo Belgico, Provinciae Belgicae commissa, in Vicariatum Apostolicum erigitur (6).

1 maii 1928. — Constitutione Apostolica « Inter Apostolicam » hodie data, Archidioecesi Bombayensi in Indiis Orientalibus magna pars tribuitur suppressae Dioecesis Damanensis (7).

9 sept. 1928. — Constitutione Apostolica « Pastoralis officii » die 2 aprilis data et hodie ab Excellentissimo Nuntio Apostolico in Columbia promulgata, erigitur nova Praefectura Apostolica Fluminis Magdalenae seu Magdalenensis, Provinciae Columbianae commissa (8).

6 nov. 1928. — Litteris Patris Nostri hodie datis, Collegium Tokiense in Iaponia a Missione Hiroshimensi (Prov. Germ. Inf.) seiun-

(1) V. infra, pag. 411 (*24 iul.*).

(2) De nova *Assistentia Slavica* die 17 apr. 1929 condita iam dictum est supra, pag. 290.

(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 74-76, 125-126. — V. etiam hic supra pag. 225.

(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 93-99, 138-145. — V. etiam hic supra, pag. 225.

(5) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 113.

(6) *Ibid.*, pp. 11-12. — V. etiam hic supra, pp. 196 et 219.

(7) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 19-21. — Missio Bombaiensis iam diu Provinciae Aragoniae concredita est.

(8) *Acta Ap. Sedis*, vol. XXI (1929), pp. 141-143; *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 12-15. — V. etiam hic supra, p. 219.

gitur et Praeposito eiusdem Provinciae Germaniae Inferioris immediate dependens declaratur (1).

6 ian. 1929. — Decreto Patris Nstri die 3 decembris 1928 lato et hodie promulgato, Missio Iamaicensis, quae hucusque utrique Marylandiae-Neo Eboracensi et Novae Angliae Provinciae commissa erat, Provinciae Novae Angliae adscribitur (2).

4 febr. 1929. — Decreto Patris Nostri die 3 decembris 1928 lato et hodie promulgato, Missio Trichinopolitana (Prov. Tolos.) in Viceprovinciam ab eadem Tolosana Provincia dependentem, Madurensem nuncupandam, erigitur (3).

21 febr. 1929. — Litteris Apostolicis « Ut aucto » hodie datis, Missio Ankingensis (Prov. Legion.) in Sinis a Vicariatu Apostolico de Wuhu seiungitur et in novum Vicariatum Apostolicum de Anking nuncupandum erigitur (4), eidem Provinciae Legionensi commissum.

21 febr. 1929. — Litteris Apostolicis « Ea quae catholicae » hodie datis, Missio Hwaisensis (Prov. Taur.) in Sinis item a Vicariatu Apostolico de Wuhu seiungitur et in novum Vicariatum Apostolicum erigitur, de Pengpu nuncupandum (5), eidem Provinciae Taurinensi concreditum. — Etiam Societatis Missio deinceps Pengpu vocabitur.

10 iun. 1929. — Cum in Insula Cuba plures sint Societatis domus et nimis sit earum distantia a Legionensi Provincia, ad quam pertinent, visum est eas in Missionem erigere cum proprio Superiore regulari, qui primum hac die illius regimen sumpsit: sed paulo post, ob validas rationes Patri Nostro allatas, Viceprovinciam Cubanam ab eadem Provincia Legionensi dependentem, potius quam Missionem, esse vocandam decretum est.

24 iul. 1929. — Litteris Patris Nostri die 16 iunii datis et hodie promulgatis, administratio Provinciae Belgicae ita dividitur, ut, una atque integra manente Provincia, pars meridionalis Viceprovinciali, Bruxellis item residenti, proxime regenda committatur.

10 oct. 1929. — Decreto Patris Nostri hodie dato et statim vim habente, Missio Poonensis in Indiis Orientalibus a Missione Bombayensi atque etiam a Provincia Aragoniae seiungitur et in regularem Missionem erigitur a Provincia Germaniae Superioris dependens.

Visitationes Missionum (6).

Missionem Bataviae in insula Iava (Prov. Neerl.) a mense ianuario ad mensem novembrem 1928 visitavit R. P. Petrus Willekens, Socius Praepositi eiusdem Neerlandicae Provinciae.

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 131.

(2) *Ibid.*, pag. 94.

(3) *Ibid.*, pp. 95-97, 131-134.

(4) *Acta Ap. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 589.

(5) *Ibid.*, pag. 590.

(6) Visitationes quas quidam Praepositi Provinciales quotannis aut fere quotannis peragere solent etiam suarum Missionum aut regionum a Provincia dependentium, ut v. g. Missionis Albaniae (Prov. Ven.), insulae Cubae (Prov. Legion.), etc., hic non recensentur.

Viceprovincia Madurensis (Prov. Tolos.) in Indiis ab eodem R. P. Petro Willekens (Prov. Neerl.) visitatur iam inde a mense iunio 1929.

Missionem Tananarivensem (Prov. Tolos.) in insula Madagascar visitavit R. P. Leontius Aurel, eiusdem Provinciae Tolosanae Praepositus, a mense septembri 1928 ad mensem maium 1929 (1).

Missionem Tokiensem et Hiroshimensem (Prov. Germ. Inf.) in Iaponia a mense iunio ad mensem octobrem 1929 visitavit R. P. Augustinus Bea (Prov. Germ. Sup.), in Pontificio Instituto Biblico Professor.

Missionem Fianarantsoensem (Prov. Camp.) in insula Madagascar visitaturus nuper (mense octobri 1929) petit R. P. Franciscus Xaverius Thoyer, eiusdem Provinciae Campaniae Praepositus (2).

Missionem Brasiliae Septemtrionalis (Prov. Lusit.) inde a mense septembri huius anni 1929 visitat R. P. Candidus Mendes, eiusdem Lusitanae Provinciae Praepositus (3).

III.
NUNTII VARII EX PROVINCIIS ET MISSIONIBUS (1927-1929).

Prov. Romana :

Commemoratio P. Angeli Secchi in Universitate Gregoriana habita ob quinquagesimum annum ab eius obitu (4). — Nobilissima, si quae unquam, ac dignissima evasit actio quam P. Angelo Secchi commemorando, vespere 13 martii 1928, instituit Universitas Gregoriana. Erat enim hic annus ab obitu celebratissimi astronomi quinquagesimus († 28 februarii 1878). Actioni aderant maiestate purpurea octo Eminentissimi S. R. E. Principes Cardinales; spectabilissimi inter eos Em. Card. Vincentius Vannutelli Sacri Collegii Decanus et Em. Card. Petrus Gasparri a Secretis Status; reliquorum nomina sunt haec: Capotosti, Bisleti, Laurenti, Ehrle, Lucidi et Galli: nec deerant Archiepiscopi et Episcopi: Pater Noster praeterea cum multis e Curia.

His accensendi Universitatis Romanae et Universitatis Catholicae Mediolanensis Magnifici Rectores, et qui Senatum et Aulam Deputatorum repraesentarent, Excell. Anile, iam a publica Instructione Minister, plurimi insuper scientiarum externi Doctores ac Professores, nec non omnes Seminariorum ac Collegiorum, quae Universitatem Gregorianam frequentant, Rectores.

(1) Viceprovincialem toto hoc tempore in Provincia Tolosana agebat R. P. Edmundus Rouffiac, Superior Residentiae Montis Pessulani seu Monspelliensis (*Montpellier*).

(2) Absente Provinciali, eius vices gerit in Provincia Campaniae R. P. Aloisius Bonduelle, Nanceianae Residentiae Superior.

(3) Viceprovincialem agit in Provincia Lusitana, durante hac visitatione, R. P. Ioannes d'Azevedo Mendes, Collegii Guardiensis Rector.

(4) V. supra, pag. 217.

Summam actionis duo alloquia constituerunt. Primum habuit P. Iosephus Gianfranceschi Universitatis Gregorianae Rector. Hic Patris Secchi merita in scientiis physicis et astronomicis exhibuit ipsumque ab adversariis vindicavit. Secundo verba fecit Emin. Card. Vannutelli (92 annos natus) ipsiusque P. Secchi ex antiquioribus discipulis forte unus superstes. Venerandus Senex, plausibus exceptus, in suo Magistro Sacerdotem et Religiosum demiratus est. Purissimam eius, summas inter laudes, intentionem, tantam animi demissionem ut pueros doctrinam christianam doceret, obedientiam in exemplum, memoravit. Reliquas omnes virtutes ipse, testis, ut aiunt, « ocularis », pertexit. Ultimo dixit de eius in Sanctam Sedem et Summum Pontificem obsequio et amore, et quanti eum faceret Pius IX. Clausit dicens Pium XI augusto consessui spiritu adesse — quemadmodum mane cum Ipsum adiisset significarat — ac se Pontificiae adhaesionis ac Benedictionis latorem esse. Atque his, omnibus ovantibus, simplicissimae aeque ac sublimissimae celebrationi finis impositus.

Memoria viri tanta virtute aeque ac scientia praediti non obliterabitur: de ipso autem publice egerunt etiam Academiae Romanae v. g. Academia Tiberina, et Academia Pontificia Scientiarum seu Novorum Lynceorum; Regium Lepidi, urbs illi natalis in Aemilia, iam centesimum annum ab eius ortu celebravit (1) ac de tanto filio summe gloriatur.

Prov. Angliae :

Monumentum « Vaughan ». — Quanti fiant nostra ministeria Nostrique operarii in Anglia, haud obscure apparet ex Monumento « Vaughan » (« *The Vaughan Memorial* ») anno 1928 inauguratum: quo nomine appellata est turris ad templum SS. Nominis Residentiae Mancuniensis (*Manchester*). Ea turris, humilis et demissa, templo tali talique urbe omnino erat indigna. Nomen « Vaughan » accepit ex claro divini verbi praecone, P. Bernardo Vaughan († 31 oct. 1922). Totius rei summae quidam auctoritatis viri actores fuerunt, quorum opera non tantum turris perfecta et insignis evasit, sed et novarum scholarum aedium accessio facta est. Utrumque opus dedicatum est mense septembri 1928, adstantibus clero plurimo, multis populi (etiam acatholici) millibus, duobus Episcopis praesidentibus. Haec celebratio religioni ac pietati incrementum multum contulit. — Eidem P. Vaughan praeterea in magnam laudem cedit quod in paroeciis ad partem orientalem urbis Londini (« Commercial Road ») pro pauperibus sacrum ministerium agebat. Unde, eo defuncto parochus loci, collecta pecunia, magnam scholam erexit, quae in Patris memoriam « Schola S. Bernardi » nominata est.

Societas Dominae Nostrae Iuniorum Presbyterorum (« *The Society of our Lady's Young Priests* »). — De piissimo illo opere cuius curam susceperunt Nostri — cui titulus; nunc per totam Angliam

(1) Cf. *Acta Roman.*, vol. II, 1916-1918, pag. 643.

omnibus notus, est « Societas Dominae Nostrae Iuniorum Praesbyterorum » — placet hic pauca exponere. Opus hoc abhinc decem annos initium habuit et crevit (1), verbo illo Dominico urgente: « Messis quidem multa, operarii autem pauci ». Vocationes tardivas, quas dicunt iuvandas curat, eos scilicet iuvenes iam grandiores opportune dirigere iisque auxilium ferre nititur, qui divinam quidem ad sacerdotium vocationem audiunt, sed quominus eam sequantur prohiberi aut saltem graviter praepediri videntur sive a familiae condicione sive ab ipsa sua provecta aetate. Quam plurimae ex his vocationibus ne perirent effecit haec Sodalitas. Unus et septuaginta anno 1928 numerabantur qui in nostra domo apud « Osterley », prope Londinum, versabantur: nullo tamen modo hic numerus indicat quam late extendatur hoc frugigerum opus. Angustiis nostrae domus excluduntur plurimi qui alibi ex eodem aerario sustinentur: quodsi hos illis adiungas, centum sexaginta septem nomina in albo inscribuntur. Ex inito pio opere, quingenti iuvenes, e mundo in vineam Domini vocati, Eius vocem audiendi copiam iam accepere, quorum sexaginta tres sunt sacerdotio iam aucti. Ex his, viginti sex in clerum saecularum cooptati: ceteri vero variis Religiosis Ordinibus nomina dederunt. Plurimi item hoc anno 1929 sacerdotio aucti sunt.

Doctrinae catholicae demonstrandae Societas (« *Catholic Evidence Guild* »). — De hac sodalitate Laicorum Laicarumque, cui titulus « Catholic Evidence Guild », nuntii qui undique deferuntur, utilitatem rei et prosperitatem indicant. Originem, ut antea saepe narratum est (2), inter alumnos nostros Collegii Saxosylvani (*Stonyhurst*) habuit, ibique, ut par est, maxime fovetur: sed ubique incrementa maiora in dies suscipit, adeo ut iam vix exstet urbs oppidumve alicuius momenti ubi non vigeat statio aliqua. Hae stationes eorum lingua vocantur « Pitches » — ex quibus, diebus dominicis et, multis in locis, aliis quoque diebus fides catholica sub divo a laicis populo qui ultro accedit clare exponitur. Hoc anno, ut alias stationes praetermittam, Londini in paradiso illo cui nomen « Hyde Park » discipuli grandiores a nostris Collegiis Stonyhurst et Beaumont orationes seu potius « instructiones » apud populum acatholicum habuerunt plus quam quinquaginta. Ex incepta sodalitate, alumni e nostro tantum Collegio Saxosylvano, expositiones eiusmodi ducentas quinquaginta sex tradiderunt. Hoc pium opus ab Episcopis in omni dioecesi approbatur et ipsi quidem ad id dant operam, omni studio et sua praesentia enitentes ut optime antea praeparentur adulti, viri feminaeque, qui publicas has conciones ordinent dirigantque. Et in conventibus quibus iam celebrant Catholici in Anglia hunc annum saecularem suae « Emancipationis » haec sodalitas iure nominatur summa cum laude

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. I, 1920, pp. 388, 389.

(2) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1922, pag. 51. — V. etiam hic supra, pp. 207, 208.

inter pia opera quae strenue laborent ut Anglis tandem reddatur antiqua patriae fides, hodie a plurimis potius incognita, et proinde neglecta, quam reiecta.

De observatorio Collegii Stonyhurst. — Apud Collegium Saxosylvanum (*Stonyhurst*) nuper est constructum, omni ex parte recentissimis inventis ornatum, radiophonicum instrumentum, vulgo « Wireless » nuncupatum. Tali adiumento instructi Nostri, qui curam observatorii astronomici habent, immediate cum aliis stationibus, necnon et navibus per mare navigantibus, communicare possunt: ex quo fit ut charta meteorologica edicere, seu potius praedicere, possint quae ratio tempestatis, per viginti quattuor sequentes horas, futura sit. Haec charta libentissime accipitur et in regionis ephemeridibus vulgatur.

Varia. — Apud Accerington, paroeciam inter omnes (quae a Nostris ob peculiaria Angliae adiuncta administrantur) florentissimam, a viris Sodalitatis Beatae Mariae Virginis nuper assumptum est munus vigilandi coram Sanctissimo Sacramento totam noctem semel in mense: quam devotionem in Anglia huc usque vix cognitam, plurimi sperant mox in multas paroecias propagatum iri.

Non ita pridem lex, diu desiderata, per Senatum Populumque Britanicum lata est quae reliquias quasdam pristini odii terrorisque tandem removit: hae reliquiae, inter alia, imprimis Ordines religiosos impetebant et nominatim Societatem Iesu. Eaedem leges vetabant Catholicos quasdam supplicationes extra ecclesias suas instituere; hic invenitur causa illius clamoris tumultusque qui propter Eucharisticum Congressum, abhinc pluribus annis Londini habitum, exortus est. Ut omnibus constat, a gubernio, tunc temporis vigente, interdictum est ne Sanctissimum Sacramentum per vias publicas portaretur. Haec omnia iam fuere; et iuvat nuntiare posse primam SS. Sacramenti pompam, legibus nunc sancitam, a Nostris apud « Prescot », (Lancashire) anno 1927 institutam perfectamque fuisse.

Prov. Austriae:

Monumentum P. Henrico Abel erectum. — Die 2 iulii 1928, Vindobonae (*Wien*) in Austria monumentum P. Henrici Abel († 23 nov. 1926) inauguratum est (1). Statua refert Patrem stantem, sanctuarium « Mariazell » cuidam opifici ad eius latus stanti manu indicantem. Comitatus dominorum (« P. Abel Denkmalkomitee ») ad festa, quae per dies 25, 30 iunii et 1, 2 iulii celebrata sunt, et ad monumentum discooperiendum Patrem Nostrum invitaverat, cuius vices gessit P. Carolus M. Andlau qui in operibus Patris Abel successor est Em. Card. Fridericus Piffi sua presentia cuncta reddidit illustriora.

(1) *Memorab. S. I.*, vol II, 1926, pp. 624-627.

Prov. Belgica : — MISSIO CALCUTTENSIS :

Delegatus Apostolicus Indiarum Orientalium RR. DD. Eduardus Mooney, mense novembri 1927, Nostros tum Calcuttae, tum Kurseong, tum in Chota Nagpore visitavit: octiduo quo inter eos diversatus est amabilem admodum ac benignum se praebuit, opera nostra laudibus prosequens. Quamvis magnas pompas respueret, ubique cum gaudio receptus est ut Summi Pontificis vicarium decebat.

Collegium Nostrorum Kurseongense Scholasticos e cunctis sex Missionibus Indiae excipit: sed etiam ex Ceylon et ex Sinis veniunt: quapropter, anno 1927, nova contignatio superstructa est; culina etiam et triclinium amplianda fuerunt, quod et factum est, et iam angusta evaserunt. Anno igitur 1928 nova constructio veteri adiecta est: domi erant 77 theologi e 10 diversis Missionibus.

Prov. Castellana :

Monumentum SS.mi Cordis Bilbai erectum (1). — Urbs Bilbao merito dici potest civitas SS.mmi Cordis: tum quia prima in Hispania fuit, ubi praeconium SS.mi Cordis publice celebraretur, tum quia sexaginta iam annos sedes est *Nuntii* Hispanici et quasi fons vivus, unde pietas erga divinum Cor, in Hispania iamdudum, potissimum per insignem Dei Servum P. Bernardum Franciscum de Hoyos, diffusa, cotidie abundantior diffluat.

Cives ergo Bilbaenses, praesertim vero socii Foederationis Apostolatus Orationis, monumentum in honorem divini Cordis erigere statuerunt, suadentibus Directoribus *Apostolatus Orationis* ac prae ceteris P. Aloisio M. Ortiz, qui magna apud Vascones suos concives auctoritate pollet. Summa pecuniae ingens requirebatur; trium annorum spatio plus quam decies centena millia nummorum argenteorum (1.000.000 *pesetas*) collecta sunt. Quod Hispania, anno 1919, celebraverat, dum se totam sollemniter in monte Angelorum (*Cerro de Los Angeles*), duce Rege Alphonso XIII, SS.mo Cordi consecravit, id Vasconum populus civitasque Bilbaensis imitari non dubitarunt et inceptum ad finem mirabili ardore deduxerunt.

Die dominica 26 iunii 1928, coram innumerabili hominum concursu, dedicatum est monumentum 40 metra sublevatum, statuam auro tectam Salvatoris Nostri SS. Cor exhibentis sustinens. Fusa celebrationis narratio in *Nuntio* SS. Cordis hispanico invenitur. Pauca tantum hic animadvertere liceat.

Quas partes Foederatio Apostolatus Orationis in parando et exsequendo tanto opere habuerit, non modo ephemerides omnes agnoverunt, sed et ipse Nuntius Apostolicus, RR. DD. Fridericus Tedeschini, declarare voluit. Is enim, iam ante festum epistolam scribens, qua nuntiaret se titulo Pontificii Legati Bilbaum esse venturum, voluit inter

(1) V. supra, pag. 69.

artifices monumenti designare « socios *Apostolatus Orationis*, decus et gloriam civitatis Bilbaensis ». In concione autem, quam ad populum undique convenientem habuit, bis « socios *Apostolatus Orationis* » allocutus est; eisque gratias egit, quod donis et sacrificiis suis tantum monumentum fieri posse permisissent. Aliunde, voluit Pater Noster, qua Director Generalis *Apostolatus Orationis*, per telegramma manifestare « se faventissimum socium fieri religiosae celebrationis a catholico Vasconum populo institutae, et vices suas R.do Patri Provinciali (1) demandare ».

Prov. Columbianae :

De Bogotano Collegio S. Bartholomei. — Reipublicae Columbianae senatusconsulto anno 1928 factum est, ut nostrum Collegium Max. Bogotanum tandem aliquando plenam assequeretur libertatem et integrae Societatis administrationi cederetur. Hucusque enim stipulatio, anno 1886 inita, identidem renovari debebat; res alea plena, nec evoluto et ampliato Collegio amplius respondens. Post multas ergo difficultates, multosque labores et pericula, quae ipse Instructionis publicae Minister opponebat, frustra Senatoribus ac Deputatis liberalibus obnitentibus, lex rogata et lata est qua « Collegium Nationale S. Bartholomaei institutum autonomum edicitur, atque Societati Iesu perpetuo regendum traditur ».

In tota hac quaestione cernere fuit, quanti Societatis institutio fiat a bonis, quantum timeatur a malis, praecipue liberalibus. De toto hoc negotio boni Senatores ac Deputati catholici benemeriti sunt: et RR. DD. Ismael Perdomo, Archiepiscopus Bogotanus, causam Societatis in se suscepit et ut suam tutatus est.

De Praefectura Apostolica Magdalenensi. — Postquam Bullam erectionis exsecutus est Ex.mus Nuntius decreto dato 15 augusti, effectum obtenturo 9 septembri (2), ex commissione apostolica nominavit Administratorem Apostolicum R. P. Carolum Hilarium Currea donec designetur Praefectus Apostolicus (3).

Simul cum eo exivit ad illam Praefecturam fundandam etiam R. P. Provincialis Iesus M. Fernández, vectus uterque navi aerea a Gubernio illis liberaliter oblata, die 17 septembris simul visitaturus domos nostras Barranquillensem, Carthaginiensem et Ocaniensem. Quatuor Missionarii illos praecesserant et occupaverant quatuor pagos selectos ut centra totidem principalia ad Residentias nostras; aliqui Fratres Coadiutores praesto erant ut illa adirent. Per aliquot dies Administrator Apostolicus et Provincialis inspexerunt illa quatuor centra (Tamalameque, Gamarra, Puerto Wilches et Barranca Bermeja illi pagi vocantur), ut viderent ubi erigenda ecclesia et domus Nostrorum et alia multa.

(1) R. P. Severiano Azcona, Praeposito Provinciae Castellanae.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pp. 12-15.

(3) Nunc ipse Pater Currea est Praefectus Apostolicus. — V. supra, pag. 408, 410 (*9 sept.*).

Circa unumquemque locum selectum, sunt et alii pagi multi et frequentes; et secundum multos fluvios, ruricolae plurimi, omni cultura carentes religiosa, sed eam appetentes. Sunt praeterea immensae silvae sine domino, in quibus aliqui infideles vagantur. Extensio geographica Praefecturae circiter 15.000 Km. amplectitur, ex qua solum habitatur illa pars quae secus flumen Magdalena et eius fluvios tributarios in planitie profunda ardenti et inundabili extenditur.

Omnes illi fideles nostros Patres gaudio magno exceperunt. Quoniam adhuc non est domus conveniens pro Nostris in illis centris, manet unicus Pater in binis centris; in alio unus Pater unusque Fr. Coadiutor et in Residentia praecipua Barranca Bermeja R. Pater Praefectus, alius Pater et unus Coadiutor.

Duo ex illis pagis undis fluminis ita inundabantur (mense decembri 1928) ita ut P. Administrator ex periculo vitae ereptus sit humeris alicuius viri; alius Pater ad transeundum ad sacellum publicum debuit nudare pedes non semel et per aquas usque ad genua et supra opperientes ambulare. Inde colligi potest quam insalubres sint illae plagae.

Nunc adlaborant Superiores apud Gubernium ut sedes duorum pagorum inundabilium alio transferatur. Etiam quaerunt acquirere domos sanas pro singulis centris quas societas quaedam de petroleis se donaturam promisit.

Prov. Franciae :

De Apostolatu Orationis. — Conventus Directorum Apostolatus Orationis Parisiis diebus 6-8 aprilis 1928 coactus, praecedentes congressus sub omni respectu superavit. Cum uno Vicario Generali aderant 40 et amplius Directores; quorum pars maior Nostri. Magni Parisiensis Seminarii Rector suis 80 Diaconis facultatem tribuit ut ultimae Sessioni adessent.

Cum ageretur ac discuteretur de propagando Apostolatu Orationis inter homines, ad hoc votum deventum est: « Ut omnes directores Apostolatus Orationis, consentientibus Episcopis, Apostolatum Orationis membris Unionum Paroecialium proponant veluti medium ad coacervandos homines in unum magnum vitae Christianae Foedus ». Pulcherrimus fuit dies postremus conventus omnibus Sociis concessus et destinatus. In functione vespertina Basilica Montis Martyrum (Montmatre) minor erat quam quae multitudinem capere posset. Post sermonem P. Ioannis Abelé (Prov. Camp.), RR. DD. Eugenius Crépin, Eminentissimi Parisiensis Archiepiscopi Auxiliarius, verba dixit summae significationis in laudem Apostolatus Orationis. Ea etsi modestiae causa non integra sint ephemeridibus consignata, at Patri Nostro missa sunt. « Eminentiae Suae nomine, ad veritati testimonium reddendum, meum puto declarare: quidquid in Monte Martyrum habemus ab Apostolatu Orationis nobis provenire ». Haec verba maius momentum accipiunt ex eo quod RR. DD. Crépin diu Sacerdotibus huius Sanctuarii Curionibus praefuit, et his praesentibus cum suo Rectore RR. Can. Flaus (nobis plane benevolo) probata sunt.

Prov. Hiberniae: — Missio Australiae:

Praelectiones Apologeticae. — Sicut mos est noster, in aula Cathedrali convenitur per duos menses ad praelectiones de doctrina Catholica audiendas, Archiepiscopo ex animo favente et praesidente. His conventibus aptum solum est tempus frigidum; media enim aestate plurimi ab urbe discedunt vitandi caloris causa et ferias agunt apud montes marisque oras. Praelectionum anni 1928 series indicatur catalogo qui sequitur:

LECTIONES PUBLICAE APOLOGETICAE
apud Melbourne 1928
Praeside RR. DD. Daniele Mannix
Archiepiscopo Melbournensis.

De Ecclesia Catholica et progressu moderno

I. — 4 Jun.: Ad progressum vero sensu faciendum necessaria et Ecclesia Catholica.
P. Albertus Power S. J.

II. — 11 Junii: Quomodo Ecclesia dignitatem ac libertatem Mulierum promoverit.
Rev. J. B. Roper.

III. — 18 Junii: De perspectivo, ut aiunt, historico. (Ad historicam Ecclesiae bene intelligendam perpendendae sunt omnes circumstantiae loci ac tempus quae in eventum unumquemque influant).
P. Eustachius Boylan S. J.

IV. — 25 Junii: Quomodo Ecclesia Scientias naturales coluerit.
P. Cyrillus Power S. J.

V. — 2 Julii: De Ecclesia Artium Omnium Magistra ac Nutrice.
P. Georgius O'Neill S. J.

VI. — 9. Julii: De Inspiratione Biblica.
P. Eduardus de le Peza S. J.

VII. — 16 Julii: De SS. Eucharistia et Congressu Internationali Eucharistico apud Sydney anno 1928 habendo.
P. Henricus Johnston S. J.

VIII. — 23 Julii: De Conversione ad Veram Fidem.
P. Stanislaus Hogan O. P.

IX. — 30 Julii: De Influxu Rom. Pontificum in "Civilizatione" promovenda.
Rev. Matthaeus Beovich D. D.

X. — 6 Aug.: De Ecclesia et "Evolutionismo".
P. Eustachius Boylan S. J.

Eodem quidem tempore locum habuerunt conciones similes apud Sydney, inter praelectores vero solus e Nostris fuit P. Gulielmus Lockington, qui seriem clausit.

Viceprov. Iugoslaviae :

De domo Zagrabiensi. — Zagabriae in Croatia occasione commemorationis vigesimi quinti anniversarii a domo condita (tunc Residentia, nunc Collegio), (1902-1927), Archiepiscopus, Episcopus Coadiutor, Congregati, fideles, gratias Deo egerunt, et Nostris insignem benevolentiam ostenderunt, donis quoque oblatis et praecipue magna quadam Academia Societatis laboribus et meritis exaltatis. Contigit id in bene auspicato Christi Regis festo (30 oct. 1927), in cuius Cordis devotione ac regni extensione dilatandis plurimum nostri in Croatia operam dederunt. Ipsum templum, SS. Cordi dicatum, sanctuarium est et monumentum nationale; Residentia mediam tenet urbem: ibi nostri plures Congregationes dirigunt; inde exeunt ut Exercitia spiritualia clero, iuventuti ac populo tradant: magistri sacri ac missionarii ruri fiunt. Typographaeum quoque eximium possident, unde omne genus librorum maxima populi utilitate diffundunt.

Iam antiqua Societas (quae a. 1606 Zagabriam venerat) 150 scriptores croatas dedit ac plusquam 1000 libros publicavit, unde merito Croatae catholici inter formatores suae culturae Nostros reponunt propterea etiam quod primum gymnasium tunc in urbe erexerunt.

Si Societas nova Zagabriam revenit, id huius urbis Archiepiscopis Em. Card. Georgio Haulik ac RR. DD. Georgio Posilović plurimum tribuendum.

Clarus Prof. Deželić illis diebus, studium diligens ac peculiare « De Apostolatu Societatis Iesu in Croatia » vulgavit.

Nunc autem, ex munifica liberalitate RR. DD. Antonii Bauer, hodierni Zagabriensis Archiepiscopi, qui solum ad id aptissimum dono dedit, nova probationis Domus simulque Domus Exercitiorum in Croatiae metropoli exstruitur, ut alias fusius dicetur.

Prov. Lugdunensis :

De baptismorum opere. — Huic operi finis praestitutus est in civitatis Lugdunensis suburbio baptismum procurare puerulis et etiam adultis qui parentum incuria nondum sunt baptizati. Anno 1927, hac ratione ad 5954 baptizati sunt; 46 tantum vicibus parentes sanctum ministerium repudiarunt.

Praeterea, ex hoc, aliud opus ad resarcienda matrimonia ortum duxit. Anno 1927, matrimonia circiter 154 sunt sanata.

Tertium inceptum huic operi quasi novus ramus recens insertum est: vocatur « La Xavière », quia Sancti Francisci Xaverii patrocinio creditum. Pro fine habet multis et omnis generis necessitatibus exterorum, in primis opificum, Hispanorum, Italorum, Polonorum, Russorum, Maurorum e Mauretania (*Maroc*), Bulgarorum, Sinensium opitulari: iis laborem procurando quo victum comparent, eleemosynas vel adiutorium temporale largiendo, v. g. hortos commodando (*Jardins ouvriers*), morale vel religiosum auxilium praestando, eos inter se societate uniendo.

De operibus in studentium favorem. — Domus Lugdunensis pro catholicis studentibus (*Maison des Etudiants Catholiques*) in annos amplificatur: 340 circiter adolescentes nomen dederunt ex quibus 44 sunt convictores. Singulis diebus plus quam 500 refectiones in popina ministrantur. Infra annum, Exercitia Spiritualia studentibus in Universitate ter fuerunt praedicta. Diligentia in singulis particularibus disciplinis addiscendis summopere fovetur: anno 1928 in sex Scholis superioribus vel partibus eiusdem Scholae totidem socii primum locum obtinuerunt.

Quidam e Nostris spiritualibus necessitatibus subvenire satagunt alumnorum qui student in publicis scholis superioribus inter primarias (*Ecoles primaires supérieures*) vel in publicis scholis technicis; in istis ad 1200 adolescentes, in illis ad 700 numerantur. Iam exiguus tantum numerus, 60 circiter, ad Societatem Iuvenum Catholicorum in Gallia (A. C. J. F.) adiuncti sunt; sed faustum influxum apud 300 fere contubernales exercent. Incepta in studentium favorem excitata in aliis urbibus, Gratianopoli praesertim et Massiliae, florent et amplificantur.

In Collegiis nostris et in Universitate Berytensi, alumnorum numerus in annos augetur, ita ut anno 1928 ad 5434 fere pertingeret.

Prov. Missouriana:

De triplici iubilaeo Patris Tommasini (1). — P. Franciscus Xav. Tommasini, triplex et insigne iubilaeum anno 1928 celebravit in Collegio Denveriensi. Scilicet illo annus erat ei quinquagesimus a suscepto sacerdotio (1878-1928), sexageximus ab inita Societate (1868-1928) et octogesimus (1848-1928) florentis adhuc aetatis. Ipse Pater solemne sacrum perfecit: urbis Episcopus adfuit ac sermonem recitavit: musica et carmina aliaque bene ominantia successerunt; in his quattuor telegrammata Roma missa. Vespere antiquus Missionarius RR. DD. Petri Fumasoni Biondi, Delegati Apostolici, fuit hospes. Bene ad nos ex America scripserunt: « P. Tommasini ultimus est ex illo strenuo Nostrorum manipulo qui ex Italia missi sunt ad propagationem fidei, frugemque Christi animarum consequendam in hac regione Americae Septemtrionalis, quorum gesta historia Societatis huius regionis narrabit et nomina eorum scripta sunt ».

Rhegii in Calabria (Italia) natus, unus est ex perpaucis superstitibus Nostris, qui novitiatum egerint Romae in atiqua probationis Domo ad Sancti Andreae in Quirinali.

Prov. Novae Angliae:

De Collegio Bostoniensi. — « Quae ad Collegium pertinent — ita illinc scribebant anno 1928 — prospere procedere videntur. Die 7 ianuarii (1928) alumnorum nostrorum « Fulton Debating Team » (scil. « Certamen quoddam litterarium ») facile primas habuit in disceptatione publica cum « Harvard University Debating Team ». Disceptatio eiusmodi in maximo Bostoniae auditorio peracta est,

(1) V. supra, pag. 217.

adstantibus hominum capita fere 3300. Ex tam magno conventu tantum octoginta et unus suffragia tulerunt pro « Harvard ». Celebritas haec vere academica, quae Collegio nostro concessa est ex ephemeridum scriptis, multo pluris valet quam omnia quae de rebus athleticis per totum annum cotidie narrari solent ».

Prov. Taurinensis : — Missio Hwaisensis in Sinis :

Sinenses milites Missionarium honorant. — In Missione Hwaisensi in Sinis factum est aliquid, quod utpote non vulgare nec frequens, dignum est quod referatur.

Gliscente in Sinis bello civili, primis diebus anni 1928, accidit ut etiam urbs « Kwo-yang », in qua P. Faustus Guavi (Prov. Taur.) residebat, a duobus hostilibus exercitibus premeretur.

Iamque manus conserebant, pugnaque utrinque fervebat, nec nisi maximo capitis P. Missionarii periculo tandem deferbuit. Hic enim inter hostiles acies pluries convolans, ducesque interpellans, demum obtinuit ut arma deponerent atque caedibus abstinerent. Itaque plurimorum vitam et bona servavit pacemque reduxit.

Sed maiorem adhuc omnium admirationem civit eius caritas in aegrotos. Cum enim multi milites ex pugna vulnerati recederent vel alia de causa aegrotarent, horum fere centum (quot capi poterant) Pater in locis Missionis excepit eisque medicus, curator et pater factus est. Qui enim eos curabant sine studio ac sine arte quidquid facerent praestabant, Missionarii vero peritia et doctrina (ab assistentia militum in bello Europaeo, quantum licuit, hausta), caritati sociata, videbatur eis praecellens et eximia. Ita multos sanavit, aliquos morituros baptismo lustravit, omnes in religionem catholicam propensos dimisit. Verum hi antequam discederent, stipe inter se collecta (fere 500 lib.), lapidem, honoris et grati animi testimonium, in loco erectum voluerunt. Inscriptio incisa est emphatico illo et parabolico regionis stylo, quem versio latina non bene redderet. Tantum sententias quasdam referemus :

Titulus ! " Hic est lapis grati animi multorum sanatorum a P. Fausto Guavi S. J. Missionario catholico in Hwai-se in perennem meritorum eius memoriam erectus.

Elogium. " ... Hic Sacerdos, vitam suam non curans, iens ac rediens caedis campum pertransivit ut pro populi vita intercederet. Si itaque factum est ne urbs Kwo-yang ruinarum cumulus fieret, huic Sacerdoti debetur. ..... Tum Sacerdos cultum tractavit, medicamenta distribuit, vulnera indagavit et curavit. Diluculo in aegrotos incumbebat, die noctuque laborabat, sub occasum tantum edens. ..... Quam pulcrae magnae Sacerdotis virtutes !

Conclusio. " Gratia in cordibus nostris incisa est. Pudet nos nihil et offerendum pro ea habere. Qua propter gratiam nostram et factorum horum memoriam in hoc lapide incidimus ".

Kwo-yang, 23 Ianuarii 1928.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO 1929

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	140	85	68	293	2	11	2	15
	Brasiliae Centr. (Vicepr.	51	49	30	130	3	— 6	3	—
	Neapolitana	121	107	76	304	1	5	5	11
	Sicula	105	77	80	262	— 6	4	—	— 2
	Taurinensis	174	83	56	313	3	8	3	14
	Veneta	214	112	151	477	— 1	6	4	9
	Socii Assist. Italiae	**805**	**513**	**461**	**1779**	**2**	**28**	**17**	**47**
Germaniae	Austriae	188	80	106	374	— 5	5	— 2	— 2
	Brasiliae Meridionalis	112	67	78	257	— 3	10	4	11
	Germaniae Inferioris (1)	419	237	225	881	14	4	9	27
	Germaniae Superioris (1)	234	142	140	516	— 1	— 4	7	2
	Hungariae (2)	85	82	64	231	— 3	— 1	2	— 2
	Neerlandica	303	192	126	621	—	14	4	18
	Socii Assist. Germaniae (3)	**1341**	**800**	**739**	**2880**	**2**	**28**	**24**	**54**
Galliae	Campaniae	458	225	122	805	1	9	2	12
	Franciae	416	175	127	718	— 6	— 5	— 8	— 19
	Lugdunensis	389	173	147	709	— 1	2	1	2
	Tolosana	404	161	118	683	— 4	13	5	14
	Socii Assist. Galliae	**1667**	**734**	**514**	**2915**	**— 10**	**19**	**—**	**9**
Hispaniae	Aragoniae	400	273	324	997	4	16	1	21
	Argentino-Chilensis	164	160	144	468	3	3	4	10
	Baetica	173	160	130	463	4	17	7	28
	Castellana	361	250	304	915	5	6	17	28
	Columbiana	94	110	117	321	1	— 6	— 2	— 7
	Legionensis	271	240	212	723	3	27	1	31
	Lusitana	181	90	124	395	— 1	— 4	2	— 3
	Mexicana	201	85	84	370	— 1	8	2	9
	Toletana	133	151	137	421	3	17	4	24
	Socii Assist. Hispaniae	**1978**	**1519**	**1576**	**5073**	**21**	**84**	**36**	**141**
Angliae	Angliae	456	253	126	835	4	10	— 6	8
	Belgica	781	484	190	1455	16	— 13	— 2	1
	Canadae Inferioris	186	181	112	479	2	14	4	20
	Canadae Sup. (Vicepr.)	47	107	29	183	—	6	·	6
	Hiberniae	264	207	64	535	8	15	4	27
	Socii Assist. Angliae	**1734**	**1232**	**521**	**3487**	**30**	**32**	**—**	**62**

(1) A Prov. Germ. Sup. ad Prov. Germ. Inf. 8 Socii (2 PP., 3 Schol., 3 Coad.) transcripti sunt.

(2) 12 Socii Prov. Hungariae ad Missionem Rumaenicam (Prov. Poloniae Minoris) transcripti sunt.

(3) Die 17 apr. 1929 ab Assistentia Germaniae seiunctae sunt Provinciae Cechoslovachiae, Poloniae Maioris et Mazoviae, Poloniae Minoris et Viceprov. Iugoslaviae, et ex iis erecta est *Assistentia Slavica.*

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO 1929

(Continuatio)

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Americae	Californiae	266	268	104	638	8	27	5	40
	Chicagiensis (1)	282	249	57	588	282	249	57	588
	Marylandiae-Neo Ebor.	440	495	106	1041	13	28	1	42
	Missouriana (1)	353	272	115	740	—252	—254	— 49	— 555
	Neo Aurelianensis	187	100	44	331	5	—	1	6
	Novae Angliae	195	324	39	558	23	7	5	35
	Socii Assist. Americae	**1723**	**1708**	**465**	**3896**	**79**	**57**	**20**	**156**
Slavica	Cechoslovachiae	99	78	72	249	— 2	19	— 1	16
	Iugoslaviae (Vicepr.)	72	31	60	163	2	— 2		3
	Poloniae Mai. et Mazov.	86	126	87	299	2	19		22
	Poloniae Minoris	143	165	139	447	5	31		42
	Socii Assist. Slavicae (2)	**400**	**400**	**358**	**1158**	**7**	**67**	**9**	**83**
	Universi ineunte a. 1929	**9648**	**6906**	**4634**	**21188**	**131**	**315**	**106**	**552**
	Erant ineunte a. 1928	9517	591	452	20636				
	Augmentum	**131**	**315**	**106**	**552**				

(1) Die 15 aug. 1928 Prov. Chicagiensis, a Missouriana seiuncta, erecta est.
(2) Erecta est die 17 apr. 1929.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1929

MISSIONES		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	19	4	21	44
IN ASIA						
Armenia *(dispersa)*		Lugdunensis	4		2	6
Ceylan:	*Gallensis*	Belgica	38	10	10	58
»	*Trincomaliensis*	Campaniae	19	2	5	26
India:	*Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	67	41	27	135
»	*Calcuttensis-Ranchensis*	Belgica	172	80	23	275
»	*Calicutensis* (1)	Veneta	53	25	20	98
»	*Goana*	Lusitana	20	10	5	35
»	*Madurensis (Vpr. dep.)* (2)	Tolosana	163	76	41	280
»	*Patnensis*	Missouriana	19	14	3	36
Iaponia:	*Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	24	3	3	30
Iava:	*Bataviae*	Neerlandica	69	36	9	114
Philippinae:	*Mindanao*	Maryl.-N. E.	44	—	24	68
Sinae:	*Ankingensis*	Legionensis	24	4	8	36
»	*Honghong (inchoata)*	Hiberniae	7	1		8
»	*Nankinensis*	Franciae	129	35	36	200
»	*Pengpu* (3)	Taurinensis	20	4	3	27
»	*Shiuhing*	Lusitana	14	4	4	22
»	*Sienhsien*	Campaniae	71	30	17	118
»	*Wuhu*	Castellana	29	6	4	39
Syria		Lugdunensis	83	16	19	118
		Universi	1069	397	283	1749
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis	31	1	10	42
Africa Merid.:	*Broken Hill*	Polon. Min.	13	—	16	29
»	*Coloniae Capitis.*	Angliae	17	—	8	25
»	*Salisbury*	»	43	—	25	68
Congo:	*Kwangensis.*	Belgica	68	20	17	105
Madagascar:	*Fianarantsoa*	Campaniae	46	3	11	60
»	*Maurice et Réunion*	Tolosana	7	—	2	9
»	*Tananarivensis*	»	52	5	8	65
		Universi	277	29	97	403
IN AMERICA						
Inter aborigenes:	*Alaskana*	Californiae	23	—	10	33
»	*Caughnawagensis*	Canad. Inf.	3	—	3	6
»	*Dakotae Meridion.*	Missouriana	15	3	22	40
»	*Indicae Canad.*	Canad. Sup.	16	2	10	28
»	*Magdalenensis* (4)	Columbiana	5	—	3	8
»	*Montium Saxos.*	Californiae	17	—	11	28
»	*Tarahumarensis (disp.)*	Mexicana	10	—	8	18
Guiana Britann.		Angliae	22	—	—	22
Honduras Britann.:	*Belize*	Missouriana	26	8	5	39
Iamaica.		Novae Angliae	21	5	3	29
		Universi	158	18	75	251
IN OCEANIA						
Carolinae, Marianae et Marshall		Baetica	18	1	23	42
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1929			1541	449	499	2489
		Erant ineunte anno 1928	1491	404	487	2382
		Augmentum	50	45	12	107

(1) Olim *Mangalorensis* appellata.

(2) Die 4 febr. 1929 Missio *Trichinopolitana* in Viceprovinciam *Madurensem*, a Prov. Tolosana adhuc dependentem, erecta est.

(3) Olim *Hwaisensis* appellata.

(4) Die 9 sept. 1928 haec nova Praefectura Apostolica erecta est.

PROSPECTUS OBLATIONUM
IN ECCLESIIS ET SACELLIS SOCIETATIS IESU COLLECTORUM
" DIE MISSIONUM „ (21 OCT. ANNI 1928)

NOTA. — Quod in quibusdam Provinciis aut nihil aut parum collectum sit, id non quidem Nostrorum incuriae, sed locorum adiunctis tribuendum est: siquidem alicubi perpaucas ecclesias aut sacella publica habent Nostri, alicubi vero Nostrorum zelus in praeparando " Die Missionum „ multas expertus est difficultates, quos enucleatius indicare non vacat.

Prov. Romana	L.	6.182
» Aragoniae (*Pesetas:* 5.455)	»	15.821
» Baetica (*Pesetas:* 1.746)	»	5.763
» Belgica (*Frs.*: 68.650)	»	36.385
» Brasiliae Meridionalis	»	6.700
» Californiae (*Dollar.:* 3.928)	»	74.386
» Campaniae (*Frs.:* 2.915)	»	2.175
» Canadae Inferioris (*Dollar.:* 1.955)	»	37.158
» Castellana (*Pesetas:* 9.886)	»	28.669
» Cechoslovachiae (*Coron.:* 8.893)	»	5.033
» Franciae (*Frs.:* 10.269)	»	7.661
» Germaniae Inferioris (*Mk.*: 2.476)	»	11.218
» Germaniae Superioris (*Mk.:* 550)	»	2.492
» Hiberniae (*Sterl.:* 113.6)	»	10.600
» Hungariae (*Pengos:* 1.302)	»	4.336
» Legionensis (*Pesetas:* 6.338)	»	18.380
» Lugdunensis (*Frs.* 15.315)	»	11.425
» Lusitana (*Scud.:* 750)	»	602
» Marylandiae-Neo Eboracensis (*Dollar.:* 5.339)	»	101.984
» Mexicana	»	3.969
» Missouriana (*Dollar.:* 17.500)	»	334.250
» Neapolitana	»	3.487
» Poloniae Maioris et Mazoviae (*Zloty:* 1.397)	»	2.991
» Poloniae Minoris (*Zloty:* 1.925,65)	»	4.121
» Sicula	»	4.773
» Taurinensis	»	10.327
» Toletana (*Pesetas:* 2.254,90)	»	6.539
» Tolosana (*Frs.:* 2.500)	»	1.862
» Veneta	»	7.543
Viceprov. Iugoslaviae (*Dinar.:* 5.955)	»	1.995
Missio Americae Centralis (Prov. Mexic.)	»	8.208
» Nankinensis (Prov. Franc.)	»	6.171
» Salisburiensis (Prov. Angl.), (*Sterl.:* 80)	»	7.416
Summa	L.	791.112

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V.

PRIMAE PRIMARIAE ROMANAE ANNO 1927 AGGREGATARUM

	Sacerdotes et Clerici	Viri	Viri et Iuvenes	Iuvenes	Pueri	Studiosi et discipuli	Mulieres	Mulieres et virgines	Virgines	Puellae	Studiosae et discipulae	Utriusque sexus	SUMMA
EUROPA													
Anglia						1	9	3		8		7	28
Austria	1	1		2	2	2	4		13	5	1		31
Belgium			1			9		3		23	1		37
Cechoslovachia			1	1			7	4	4	1		1	19
Gallia				2		3	1		14	8			28
Germania		7	1	33	1	3	11		96	10	1		163
Helvetia		2	1	7	2				16			1	29
Hibernia					2			5		2			9
Hispania	1	3	1	12	5		8	2	8	12			52
Hungaria		2		1		8	6			13			30
Italia	2			6	2	1	2	1	2	2		2	20
Iugoslavia		1		5		3	4		9	4	1		27
Lusitania		3		3		1	12			2			21
Neerlandia		5		21	9	1	4		1	32		1	74
Polonia		3				21	2		6	11	23	1	67
Rumenia					1		1		3			1	6
Varia loca				1		2	2		4				9
ASIA													
India		1		2	3	3	1	2		9	1	1	23
Iava				1					1				2
Philippinae				1					2	1			4
Syria				1									1
AFRICA													
Aegyptus							1		1				2
Algeria									1				1
Madagascar		2					7						9
Varia loca						1		1		1			3
AMERICA													
Argent. & Chilum.		2	4	2			1	2	2	2			15
Brasilia	1	1	2	2	2	2			2	1			13
Canada				2		1		1	23	2		1	30
Mexicum										1			1
Status Foederat.		4		7	8		28	7	98	17		12	181
Varia loca										3			3
OCEANIA													
Australia				2			4		6	8			20
Varia loca				1					6	1		1	9
Summa totalis	**5**	**37**	**11**	**115**	**37**	**62**	**115**	**31**	**318**	**179**	**28**	**29**	**967**

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V. PRIMAE PRIMARIAE ANNO 1928 AGGREGATARUM

	Sacerdotes	Viri	Iuvenes et viri	Iuvenes	Pueri	Studiosi et discipuli	Mulieres	Mulieres et Virgines	Virgines	Puellae	Studiosae et discipulae	Utriusque sexus	**SUMMA TOTALIS**
EUROPA													
Anglia							3	1		11		4	19
Austria	2	4		1	5	2	3	1	10	9			37
Belgium				3		2				13			18
Cechoslovachia		1		1		2	1	2	11	3		1	22
Gallia		2		4	2	1			19	9			37
Germania		7	1	27	2		8		77	14		1	137
Helvetia	3	2		3	3				12				23
Hibernia					2			2					4
Hispania		1	1	10	11	4	1	5	16	10		3	62
Hungaria		2		1		10	4			17			34
Italia				3		4	5	1	3	3		2	21
Iugoslavia	1	2		4			4		4	6	2		23
Lusitania		1	1	1			2		3			1	9
Neerlandia		2	1	15	2	2	3	2	2	16			45
Polonia	1	2		3	1	31	12		10	12	30	2	104
Varia loca				2			1		3				6
ASIA													
India		3	3	5	3	1	5	1	3	8		1	33
Iava		1		2					1				4
Philippinae				1					2				3
Sinae						1		2		2	1		6
Varia loca					2	1			3			2	8
AFRICA													
Algeria									4				4
Madagascar							3						3
Varia loca										1		1	2
AMERICA													
Argentina					4				2				6
Brasilia			1	2	1	1			6	2		2	15
Canada		1	2	4	2	1			8	1			19
Chilum			1	4	1		1	1	10	4			22
Columbia				1	2		3		1	1			8
Status Foeder.		3	1	10	5		18	7	100	11		17	172
Varia loca		1			1		3	3	12	9			29
OCEANIA													
Australia					1					2			3
Ins. Fiji										1			1
Summa	7	35	12	107	50	63	80	28	322	165	33	37	**939**

NUMERUS AUDITORUM
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE
ANNO SCHOLARI 1928-1929
PROUT EX DIVERSIS NATIONIBUS SUNT ORIUNDI

Aequator	2	Italia	262
Argentina	18	Iugoslavia	17
Australia	12	Lithuania	2
Austria	28	Lusitania	28
Belgium	48	Luxemburgum	2
Bolivia	2	Melita	12
Brasilia	47	Mexicum	139
Britannia Maior	137	Neerlandia	24
Canada	34	Nicaragua	5
Cecoslovachia	14	Paraquaria	3
Chile	7	Peruvia	1
Columbia	15	Philippinae	3
Costarica	2	Polonia	71
Cuba	5	Portorico	2
Dania	1	Romania	4
Gallia	205	Russia	1
Germania	124	S. Dominici	4
Helvetia	23	S. Salvatoris	5
Hibernia	50	Status Foederati Am.	48
Hispania	137	Uruquaria	32
Hungaria	19	Venezuela	12
India	4		

Summa 1612

PROSPECTUS VOCATIONUM RELIGIOSARUM EX COLLEGIIS S. I. IN PROV. BELGICA

ANNO 1928-1929.

COLLEGIA	Rhetorici, anno absoluto	In Semin.	In S. I.	In alia Instituta	Rhetorici ex duobus annis praeced.	Ex aliis classibus
Alostanum . . .	18	1	2	1 Obl. B.M.V. 1 Scheut		
Antuerpien. . . .	47		6	1 „ 2 O. P. 1 Praem. 1 Miss. Afr. (Lavigerie)		1 ex 3ª Trapp.
Bruxellen. S. I. B. .	27	1 LEO. XIII	1			
„ S. M.	83		3	1 O. S. B.	1 Sem. (Rh'. 28) (Phil. S. Aloisii)	
Caroloregien. . .	19		1	1 O. S. B.	1 S. I. (Rh'. 28) (Phil. Namur.)	
Gandaven. . . .	41	1	3	1 O. P. 1 Redempt. 1 Scheut.	1 S. I. (Rhet'. 27) (Phil Namur.)	
Godinnen. . . .	21	1	5	1 Trapp.	1 S. I. (Rh'. 28) (Ex Familia)	
Leodien. S. Alois .	25	5				
„ S. Serv. .	41	3				
Monten.	34	3				
Namurcen. . . .	17	1	2		1 S. I. (Rh'. 27) (Phil. Namur.)	
Tornacen. . . .	29	2	2			
Turnholtanum . .	26	1	6	1 Miss. Afr. 2 O. F. M. 1 O. P. 1 Cisterc. 2 Praem. 1 O. S. B.		
Vervien.	18	4	2	1 O. S. B. 1 Insbit. dinense Lovanien.		
	446	23	33	24	5	1

86

Proportio ad N. Candidat. (86):
Sem. (24) = 28 %
S. I. (37) = 44 %
Alia Instit. (24) = 28 %

Anno 1928–29 vocat. 18 %

Anno 1927–28 „ 15,4 %

CATALOGUS DEFUNCTORUM

IN SOCIETATE IESU

a die 1 octobris 1927 ad 30 septembris 1928.

---

1. P. Petrus Boelen, nat. 's–Gravenhage 28 iun. 1844, ing. 26 sept. 1861, Prof. 4 vot. 2 feb. 1879, ob. Amsterdam 1 oct. 1927; Prov. Neerlandicae.

2. P. Georgius Cornu, nat. St.-Pierre-de-Varennes (Saône-et-Loire) 19 iul. 1855, ing. 13 oct. 1885, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Yzeure (Allier) 1 oct. 1927; Prov. Lugdunensis.

3. P. Marcellus Desforges, nat. Paris 29 iun. 1864, ing. 17 nov. 1885, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob. Paris 1 oct. 1927; Prov. Franciae.

4. C. Ludovicus Slootmaekers, nat. Niel (prov. Antuerp.) 4 aug. 1859, ing. 1 feb. 1887, Coad. temp. form. 2 feb. 1897, ob. Bruxelles 2 oct. 1927; Prov. Belgicae.

5. P. Delphinus Otaegui, nat. Pasajes de San Juan (Guipúzcoa-Hispania) 24 dec. 1872, ing. 16 mai. 1891, Coad. spir. 19 mart. 1909, ob. Medellín 8 oct. 1927; Prov. Columbianae.

6. C. Ioannes Bapt. Lukas, nat. Gerlfangen prope Saarlouis (Rhenania) 2 mart. 1867, ing. 25 apr. 1897, Coad. temp. form. 15 aug. 1907, ob. Valkenburg (Hollandia) 9 oct. 1927; Prov. Germaniae Inferioris.

7. P. Marianus Sánchez, nat. Barbastro (Huesca, Hispania) 7 dec. 1849, ing. 2 iun. 1876, Coad. spir. 12 aug. 1886, ob. Buenos Aires 10 oct. 1927; Prov. Argentino-Chilensis.

8. S. Mauritius Jahandiez, nat. Houilles (Seine-et-Oise) 29 ian. 1899, ing. 30 apr. 1917, Schol. approb., ob. Paris 10 oct. 1927; Prov. Franciae.

9. P. Augustinus Lara, nat. Bujalance (Córdoba) 1 iun. 1885, ing. 8 feb. 1881, Prof. 4 vot. 15 aug. 1898, ob. Sevilla 13 oct. 1927; Prov. Baeticae.

10. P. Andreas Schmitt, nat. Würzburg (Bavaria) 2 dec. 1850, ing. 10 oct. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. Pullach prope München 14 oct. 1927; Prov. Germaniae Superioris.

11. P. Henricus Corrigan, nat. Manchester (Lancashire) 25 aug. 1863, ing. 7 sep. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Glasgow (Scotia) 15 oct. 1927; Prov. Angliae.

12. P. Henricus A. Leary, nat. Boston (Massachusetts) 6 jan. 1875, ing. 14 aug. 1893, Coad. spir. 3 feb. 1911, ob. Boston (Massachusetts) 15 oct. 1927; Prov. Novae Angliae.

13. C. Augustinus Plaswilm, nat. Hagen (Westfalia) 11 sept. 1870, ing. 30

sept. 1889, Coad. temp. form. 2 feb. 1901, ob. Aachen 17 oct. 1927; Prov. Germaniae Inferioris.

14. P. Iosephus Grimal, nat. Pozan de Vero (Huesca) 11 maii 1876, ing. 7 sept. 1892, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Cateel (Mindanao) 18 oct. 1927; Prov. Aragoniae.

15. P. Cyrillus Briones, nat. Laguardia (Alava) 8 iul. 1864, ing. 29 iul. 1879, Prof. 4 vot. 15 aug. 1899, ob. Deusto-Bilbao (Vizcaya) 20 oct. 1927; Prov. Castellanae.

6. C. Ioannes B. Huhn, nat. Rossbach (Germania) 3 jun. 1850, ing. 30 sept. 1882, Coad. temp. form. 2 feb. 1893, ob. Milford (Ohio) 23 oct. 1927; Prov. Missourianae.

17. P. Ludovicus van Miert, nat. 's-Hertogenbosch 9 iun. 1858, ing. 26 sept. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Mariëndaal (Velp, N. B.) 31 oct. 1927,; Prov. Neerlandicae.

18. P. Fridericus M. Baldus, nat. Eisern bei Sieger (Germania) 31 oct. 1884, ing. 23 jul. 1905, Coad. spir. 2 feb. 1924, ob. Port Townsend (Washington) 2 nov. 1927; Prov. Californiae.

19. S. Romanus Glen, nat. Nowa Góra (Polon. Min.) 12 ian. 1911, ing. 9 aug. 1927, Schol. nov., ob. Stara-wieś 2 nov. 1927; Prov. Poloniae Minoris.

20. P. Eduardus Devine, nat. Bonne chère Point (Ont) 3 mart. 1860, ing. 4 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Toronto 5 nov. 1927; Prov. Canadae Inferioris.

21. P. Henricus Meurice, nat. Cambrai (Nord) 4 feb. 1888, ing. 2 nov. 1907, Prof. 4 vot. 2 feb. 1925, ob. Reims (Marne) 5 nov. 1927; Prov. Campaniae.

22. P. Gulielmus Dekelmeyer, nat. Hanau a M. (Germania) 6 sept. 1874, ing. 1 oct. 1894, Coad. spir. 2 febr. 1909, ob Santa Cruz (Rio Grande do Sul) 6 nov. 1927; Viceprov. Brasiliae Meridionalis.

23. P. Iosephus Rius, nat. Alfarrás (Lerida) 22 dec. 1873, ing. 16 oct. 1909, Coad. spir. 2 feb. 1920, ob. in mari prope Colombo 7 nov. 1927; Prov. Aragoniae.

24. P. Emmanuel Ribera, nat. Tortosa (Tarragona) 24 mar. 1857, ing. 30 sept. 1886, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Barcelona 8 nov. 1927; Prov. Aragoniae.

25. P. Aloisius Potier, nat. Eveac (Côtes-du-Nord) 1 aug. 1847, ing. 16 oct. 1874, Prof. 4 vot. 3 feb. 1890, ob. Paris 10 nov. 1927; Prov. Franciae.

26. C. Richardus Urbina, nat. Vitoria (Hispania) 7 feb. 1862, ing. 28 iun. 1878, Coad. temp. form. 15 aug. 1892, ob. Paris 10 nov. 1927; Prov. Franciae.

27. P. Fridericus Brühl, nat. Mainz (Hassia) 29 mart. 1855, ing. 21 oct. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1892, ob. Datteln bei Haltern (Westfal.) 13 nov. 1927; Prov. Belgicae.

28. P. Aloisius Giebens, nat. Anvers 16 ian. 1888, ing. 23 sept. 1908, Prof. 4 vot. 2 feb. 1925, ob. Tientsin (Sinae) 13 nov. 1927; Prov. Belgicae.

29. P. Leo Wattel, nat. Roubaix (Nord) 15 oct. 1892, ing. 9 oct. 1911, Schol. approb., ob. Boulogne-sur-Mer (Pas-de-Calais) 15 nov. 1927; Prov. Campaniae.

30. C. Iosephus Betzle, nat. Russenried (Wüttembergia) 13 dec. 1874, ing. 30 sept. 1897, Coad. temp. form. 2 feb. 1908, ob. Rottmannshöhe (Bavaria) 15 nov. 1927; Prov. Germaniae Superioris.

31. P. Hubertus Hartmann, nat. Amelsbüren (Westfalia) 9 aug. 1849, ing. 29 sept. 1875, Prof. 4 vot. 3 feb. 1890, ob.'s-Heerenberg 17 nov. 1927; Prov. Germaniae Inferioris.

32. P. Augustus Tassart, nat. Celles (Hannon.) 26 dec. 1867, ing. 26 sept. 1885, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob. Louvain 18 nov. 1927; Prov. Belgicae.

33. P. Geraldus Tarleton, nat. Torquay (Devon) 31 dec. 1849, ing. 7 sept. 1867, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Preston (Lancashire) 19 nov. 1927; Prov. Angliae.

34. P. Hubertus Niclas, nat. Maastricht (Neerl.) 15 mart. 1860, ing. 17 iun. 1880, Prof. 4 vot. 15 aug. 1897, ob. Ranchi (Ind. Angl.) 19 nov. 1927; Prov. Belgicae.

35. P. Michael A. Pro, nat. Concépcion del Oro (Zacatecas) 13 ian. 1891, ing. 10 aug. 1911, Schol. approb., ob. México (D. F.) 23 nov. 1927; Prov. Mexicanae.

36. C. Paulus Chevillard, nat. Neurey-les-la-Demie (Hte Saône) 24 mart. 1871, ing. 13 iun. 1890, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Tanaïl (Syria) 25 nov. 1927; Prov. Lugdunensis.

37. C. Christophorus Sánchez, nat. Mula (Murcia) 13 iun. 1866, ing. 10 apr. 1895, Coad. temp. form. 6 maii 1906, ob. Lima (Peruvia) 29 nov. 1927; Prov. Toletanae.

38. S. Aloisius Monsalve, nat. Sonsón (Antioquia) 6 sept. 1900, ing. 15 iun. 1915, Schol, approb., ob. Bucaramanga 30 nov. 1927; Prov. Columbianae.

39. C. Ioannes M. O'Brien, nat. Philadelphia (Pennsylvania) 8 oct. 1857, ing. 26 mai. 1919, Coad. temp. approb., ob. Woodstock (Maryland) 30 nov. 1927; Prov. Marylandiae Neo Eboracensis.

40. P. Vedastus Peyralade, nat. St. Paul de Fenouillet (Pyrénées Orientales) 6 mai. 1894, ing. 7 sept. 1910, Schol. approb., ob. Lyon 1 dec. 1927; Prov. Franciae.

41. P. Claudius Didier, nat. St. Étienne (Loire) 4 sept. 1852, ing. 10 oct. 1872, Coad. spir. 15 aug. 1888, ob. Lyon 4 dec. 1927; Prov. Lugdunensis.

42. C. Henricus Graf, nat. Aachen (Germania) 15 apr. 1855, ing. 30 sept. 1880, Coadj. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Pine Ridge (South Dakota) 6 dec. 1927; Prov. Missourianae.

43. P. Aloisius Cheïkho, nat. Mardin (Mesopotamia) 5 feb. 1859, ing. 2 nov. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Beyrouth (Syria) 7 dec. 1927; Prov. Lugdunensis.

44. C. Patricius Welch, nat. London 1 mart. 1862, ing. 7 sept. 1879 oad. temp. form. 15 aug. 1892, ob. St. Beuno's (Tremeirchion, Flintshire) in Wallia 7 dec. 1927; Prov. Angliae.

45. P. Iosephus Mayer, nat. Knittelfeld (Styria) 23 maii 1854, ing. 15 sept. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob. St. Andrä 8 dec. 1927; Prov. Austriae.

46. C. Iulianus Fernández de Retana, nat. Antenaza (Alava) 8 ian. 1904, ing. 30 oct. 1922, Coad. temp. approb., ob. Chapinero-Bogotá (Columbia) 11 dec. 1927; Prov. Castellanae.

47. P. Iosephus Nissen, nat. Dunkerque (Nord) 23 apr. 1867, ing. 19 sept. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Sienhsien in Sinis 13 dec. 1927; Prov. Campaniae.

48. P. Iosephus Dillenseger, nat. Nothalten (Rhenania) 15 mart. 1868, ing. 7 sept. 1889, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob. Beyrouth (Syria) 14 dec. 1927; Prov. Lugdunensis.

49. P. Franciscus Calemard, nat. 7 aug. 1853, ing. 12 nov. 1878, Schol. approb., ob. Diest (Belgium) 15 dec. 1927; Prov. Tolosanae.

50. C. Petrus Orriols, nat. Castellar de Nuch (Barcelona) 13 sept. 1858, ing. 7 sept. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Zaragoza 16 dec. 1927; Prov. Aragoniae.

51. C. Franciscus Xav. Skrováth, nat. Schwatz (Tirol) 27 iul. 1839, ing. 23 iul. 1860, Coad. temp. form. 15 aug. 1870, ob. Nagykapornak 17 dec. 1927; Prov. Hungariae.

52. C. Clemens Bosseler, nat. Hondelange (prov. Luxemb.) 23 sept. 1863, ing. 7 apr. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1898, ob. Arlon 18 dec. 1927; Prov. Belgicae.

53. P. Ferdinandus Meeûs, nat. Anvers 24 iun. 1861, ing. 26 sept. 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Bruxelles 20 dec. 1927; Prov. Belgicae.

54. C. Iosephus Horta, nat. Covilhã (Beira Baixa) 16 iul. 1846, ing. 10 oct. 1875, Coad. temp. form. 2 feb. 1886, ob. Oya (Hispania) 20 dec. 1927; Prov. Lusitanae.

55. P. Iulius Fényi, nat. Sopron 6 ian. 1845, ingr. 24 sept. 1864, Prof. 4 vot. 2 febr. 1842, ob. Kalocsa 21 dec. 1927; Prov. Hungariae.

56. C. Vincentius Berclaz, nat. Darnonaz (Vallais) in Helvetia 8 nov. 1855, ing. 5 apr. 1873, Coad. temp. form. 15 aug. 1884, ob. Milford (Ohio) 22 dec. 1927; Prov. Missourianae.

57. C. Emeterius Oteiza, nat. Alzola (Hispania) 3 mart. 1876, ing. 30 iul. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1906, ob. Paris 22 dec. 1927; Prov. Franciae.

58. C. Eugenius Bonnet, nat. Remouillé (Loire-Inférieure) 12 maii 1855, ing. 27 sept. 1889, Coad. temp. form. 2 feb. 1901, ob. Dinan (Côtes-du-Nord) 24 dec. 1927; Prov. Franciae.

59. P. Petrus B. Bouscaren, nat. Cincinnati (Ohio) 30 dec. 1889, ing. 14 aug. 1908, Prof. 4 vot. 15 aug. 1925, ob. Florissant (Missouri) 25 dec. 1927; Prov. Missourianae.

60. P. Leo Duponchel, nat. Paris 27 aug. 1843, ing. 7 oct. 1876, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Laval (Mayenne) 26 dec. 1927; Prov. Franciae.

61. P. Ioannes C. Harmon, nat. Dundalk (Co. Louth, Hibernia) 21 iun. 1864, ing. 14 aug. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1904, ob. New York 26 dec. 1927; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

62. C. Iosephus Ignatius Beristain, nat. Azpeitia (Guipúzcoa) 3 dec. 1862, ing. 28 iun. 1881, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Loyola (Azpeitia, Guipúzcoa) 26 dec. 1927; Prov. Castellanae.

63. P. Stanislaus De Visser, nat. Anvers 23 mart. 1856, ing. 23 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. Malines 27 dec. 1927; Prov. Belgicae.

64. P. Henricus Jubaru, nat. Bousbecque (Nord) 6 iun. 1865, ing. 10 oct. 1883, Prof. 4 vot. 2 feb. 1901, ob. Lille (Nord) 26 dec. 1927; Prov. Campaniae.

65. S. Hildebrandus Fortuna (1), nat. Rio de Janeiro (Brasilia) 20 iul. 1900, ingr. 18 ian. 1905, Schol. approb., ob. Roma 29 dec. 1927; Viceprov. Brasiliae Centralis.

66. P. Bernardus Schraub, nat. Batten (Hassia) 24 oct. 1875, ingr. 30 iul. 1895, Prof. 4 vot. 15 aug. 1912, ob.

(1) Nomen integrum familiae est: *Peixoto Fortuna*.

Pullach prope München 30 dec. 1927; Prov. Germaniae Superioris.

67. P. Antonius Astráin, nat. Undiano (Navarra) 17 nov. 1857, ing. 8 aug. 1871, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Loyola (Azpeitia, Guipúzcoa) 4 ian. 1928; Prov. Castellanae.

68. C. Leonardus Bellen, nat. Kerkrade (Limburg, Neerlandia) 23 aug. 1885, ing. 1 aug. 1908, Coad. temp. form. 15 aug. 1918, ob. Valkenburg (Hollandia) 6 ian. 1928; Prov. Germaniae Inferioris.

69. P. Bonifatius Felchlin, nat. Steinen (Helvetia) 11 ian. 1850, ingr. 10 oct. 1873, Prof. 4 vot. 2 febr. 1887, ob. Tisis prope Feldkirch (Austria) 7 ian. 1928; Prov. Germaniae Superioris.

